


Amico f. Lia salutem dicit plurimum
auctor.
Gwil. Dmktor.



INDEX MOLLUSCORUM,

QUAE

IN ITINERE AD GUINEAM INFERIOREM COLLEGIT
GEORGIUS TAMS MED. DR.

AUCTORE

GUILIELMO DUNKER

PHIL. DRE., SOCIETATUM COMPLURUM LITERARIARUM PUBLICARUM SOCIO.

ACCEDUNT NOVARUM SPECIERUM DIAGNOSES, CIRRIPEDIA NONNULLA ET
X. TABULAE ICONUM.



CASSELLIS CATTORUM

TYPIS ET SUMTIBUS THEODORI FISCHER.

1853.

Sectional Library-
Dept. of Moll. U. S. N. M.
Lea Collection.

Inest in explicatione naturae insatiabilis quaedam e cognoscendis rebus voluptas, in qua una, confectis rebus necessariis, vacui negotiis, honeste ac liberaliter possumus vivere. — Ciceron de finibus bonorum et malorum lib. IV. cap. 5.

Prooemium.

Jam ante longum tempus vir praestantissimus amicissimus Georgius Tamis, medicinae et chirurgiae doctor, quum Venezuelam proficeretur, omnia fere Mollusca mihi dono dedit, quae annis MDCCXLII et MDCCXLII in itinere ad Guineam inferiorem facto diligentissime collegerat. Illo tempore plures horum Molluscorum species insignes in commentariis conchyliologicis a viris doctissimis Menke et Pfeiffer editis descripsi, animum intendens, ut indicem Molluscorum omnium absolutum, quae ille rerum naturalium investigator indefessus collegit, posterius in lucem emitterem, de novis speciebus fusius tractarem atque descriptiones iconibus illustrarem, sperans fore ut enumeratio et descriptio Molluscorum certae cuiusdam regionis multis grata sit atque accepta. Quis enim neget accuratam Conchyliorum in regione quadam obviorum cognitionem pro toto horum animalculorum studio haud magni esse momenti? Ex altera vero parte arbitratus sum tali Molluscorum Guineensium enumeratione omnibus numeris absoluta, species quasdam a paeclaro Adansonio in opere „Histoire naturelle du Sénégal“ descriptas et delineatas, sed ab auctoriibus nonnullis recentioribus parum intellectas, fortasse a me illustratas esse. Quum vero tempus et otium me deficerent, hoc propositum prius ad finem perducere haud licuit. Nihilominus taumen spero fore ut hocce opuseulum, quamvis exiguum et leve, haud ingratum sit viris doctis et horum studiorum fautoribus, etsi interim novae species quaedam jam ab aliis delineatae sint.

Tabularum X icones tum a memet ipso, tum me duce ab ornatissimo Joanne Rehbein, pictore rerum naturalium versatissimo Cassellano, delineatae sunt. Praeter novas species nonnullae testaceorum imagines iterum depictae sunt, cum, quae exstant, sufficere haud videantur. Cirripedia quaedam recepta sunt, ut spatium in Tabula decima expleretur.

Cujus interest de itinere Africano nostri peregrinatoris audire, opusculum legat, cui titulus inscriptus est: Die portugiesischen Besitzungen in Süd-West-Africa; ein Reisebericht von G. Tams, Dr. med. et chir. Hamburg, Verlag von Robert Kittler. 1845.

Denique monendum est, me in elaborando hoc indice opera nonnulla rariora comparare haud potuisse, quod valde doleo.

Vale et fave, lector benevole, et de libello judicium clemens facias.

Cassellis Cattorum die XV mensis Octobris MDCCCLIII.

Gnili Dunker.

Opera citata.

- Adams, A., in Zool. Voyage of Samarang 1850.
Adanson, Histoire naturelle du Sénégal. 1757.
Albers, J. C., Die Heliceen nach natürlicher Verwandtschaft systematisch geordnet. 1850.
Anton, H. E., Verzeichniss der Conchylien etc. 1839.
Born, Ign. a., Testacea Musci Caesarei Vindobonensis. 1750.
Brugière, in Encyclopédie méthodique. Vers. Tome I. 1789 — 1792. *
Darwin, Charles, Monograph on the sub-class. Cirripedia. 1851.
Delessert, Benj., Recueil de coquilles descrives par Lamarck et non encore figurees. 1841.
Dunker und v. Meyer, Palaeontographica vol. I. 1851.
Hanley, Sylv., Monograph of the genus Tellina. 1846.
Herrmannsen, A. N., Indicis generum malacozoorum Suppl. 1852.
Kiener, L. C., Species général et Iconographie des Coquilles vivantes etc.
Krauss, F., die südafrikanischen Mollusken. Ein Beitrag zur Kenntniss der Mollusken des
Kap- und Natallandes. 1848.
Knorr, Vergnügen der Augen und des Gemüths. I - VI. 1757 — 1773. *
Lamarek, J. B. P. A. de, Histoire naturelle des animaux sans vertèbres. ed. II. par M. M.
G. P. Deshayes et H. Milne Edwards. 1835 — 1845.
Linnaei, C., Systema Naturae ed. X. 1758.
— — " " ed. XII. 1767.
— — " " ed. XIII. cura J. Fr. Gmelin. 1788.
— Fauna Suecica.
Lister, M., Historia seu synopsis methodica Molluscorum.
Martini, F. H. W. und Chemnitz, J. H., Systematisches Conchyliencabinet 11. voll.
1768 — 1795.

* Opera asterisci signo notata ipse comparare mihi hand contigit.

- Menke, C. Th., Zeitschrift für Malakozoologie. 1844 — 1845.
— und Pfeiffer, L., Zeitsehr für Malak. 1846 — 1853.
— Synopsis methodica Molluscorum ed. alt. 1830.
— Molluscorum Novae Hollandiae specimen. 1843.
- Mörech, O. A. L., Catalogus Conchyliorum, quae reliquit D. Alphonso d'Aguirra et Gadea comes de Yoldi. 1852 et 1853.
- D'Orbigny, A., Voyage dans l'Amérique méridionale. 1837 — 1840.
— Moll. canar. in Barker Webb et Berthelot histoire naturelle des îles Canaries. 1836 — 1844.
— moll. cub. in Ramon de la Sagra histoire de l'île de Cuba Moll. tome I. 1841.
- Payraudeau, B. C., Catalogue descriptive et méthodique des Annélides et des Mollusques de l'île de Corse. 1826.
- Pfeiffer, L., Kritisches Register zu Martini und Chemnitz's system. Conchylien-Kabinet. 1840.
— Monographia Helicorum viventium vol. III. 1848 — 1853.
- Philippi, R. A., Enumeratio Molluscorum Siciliae etc. 1836. Ejusdem operis pars altera. 1844.
— Abbildungen und Beschreibungen neuer oder wenig gekannter Conchylien. vol. 1 — 3. 1845 — 1851.
— Handbuch der Conchyliologie und Malacozoologie. 1853.
- Proceedings of the Zoological Society of London. 1835.
- Quoy et Gaimard in voyage de l'Astrolabe Zool. 1832.
- Reeve, Lovell, Conchologia iconica etc. London.
- Rumphius, G. E., D'Amboinsche Rariteitkamer. 1750.
- Schröter, J. S., Einleitung in die Conchylienkenntniß nach Linné. III vol. 1783 — 1786.
- Seba, Alb., locupletissimi rerum naturalium thesauri accurata descriptio. Tom. III. Amsterdam. 1761. *
- Sowerby, G. B. jun., Conchological Illustrations. 1841.
— Species Conchyliorum. *
— in Zool. of captain Beechey's voyage. 1839.
— Genera of Shells. *
— Thesaurus Conchyliorum. Scalaria. *
- Turton, William, Conchylia dithyra insularum Britannicarum. The bivalve Shells of the British islands. 1848.
- Wood, W., Index testaceologicus. 1825. ed. II. et suppl. 1828. *
- Praeterea nonnullis aliis operibus in conscribendo hoc indice usus sum.

CEPHALOPODA.

1. *Spirula Peronii* Lam. (*Nautilus Spirula* L.)

Plura specimen exstant variis regionibus lecta, ex. gr. ad insulam St. Vincent, in vicinia urbis Loandae etc., unde cluet hanc speciem et in litore Africano late dispersam esse.

PTEROPODA.

2. *Cavolinia gibbosa* (*Hyalea*) Rang. var.?

vide Tab. nostr. I. Fig. 13. 14. 15.

Testa globulosa, vitrea, profunde fissa; valvula dorsalis radiatim septemcostata, valvula ventralis valde gibbosa, concentrica striata et sulcata; cuspis mediana acuta recurva, duae laterales minimae; apertura angusta; labrum superius obtectum. — Long. $3\frac{1}{3}$, latit $2\frac{1}{4}$, crass. $1\frac{1}{4}$.

Hyalea gibbosa Rang apud d'Orbigny Voyage Tab. VIII, Fig. 16—20.

- — *Cantraine* pag. 27. Tab. I. Fig. 5.
- — *Lam.* ed. 2. VII. pag. 419.
- — *Phil. Enum. Moll. Sicil.* II. pag. 71.
- — *Ramond de la Sagra* deser. Cub. Tab. II. Fig. 2—4.

Testa globulosa, gibba, nitida, vitrea, profunde fissa; valva dorsalis costis septenis laevisbus obtusis striisque concentricis tenuerrimis instructa, valva ventralis valde gibbosa, basi concentrica tenuisulcata; spina mediana acuta, uncinata, spinae laterales minimae vix observandae.

Duo tantummodo huius speciei exemplaria plane congruentia exstant coelo sereno in sinu Guineensi capta. Ad speciem propriam ac diversam fortasse pertinent, quia eorum testa multo minor spinis lateralibus fere omnino caret, aculeus

medianus brevior et minus resupinatus est. Praeterea tota testae forma a specie Rangiana aliquantulum discedit.

Fig. 13. Tab. nostrae I. specimen magnitudinis naturalis offert, figg. 14, 15 et 16 exhibent illud magnitudine aucta.

3. *Cavolinia Reeveana* Dkr.

rid. Tab. nostr. I. Fig. 17 – 20. Fig. 17 speciem magnitudine naturali, figg. 18, 19, 20 illam magnitudine aucta offervnt.

Testa valde compressa, vitrea, subpentagona, tenerrime striata; valva dorsalis tricostata, costa mediana lata, valva ventralis paulo convexior utrinque plicata; cuspides tres, mediana longissima, laterales breviores ad axim testae oblique inclinatae; apertura angustata, labia brevia vix inflexa. — Longit. ab apertura ad finem cuspidis medianae $4\frac{1}{3}$ lin. latit. inter cuspides laterales $4\frac{1}{4}$ lin. crass. 1 lin.

Detecta est una cum antecedente

Testa lagmenulae compressae haud dissimilis, tenuissima, vitrea, nitidissima. Valva dorsalis tricostata, costa mediana lata, utrinque obsolete plicata, costae laterales multo minores. Valva ventralis paulo convexior ad aperturam gibbosula, utrinque costa parva instructa est. Praeterea totam testam lineis incrementi subtilissimis, sub microscopio tantum observandis, obiectam invenies.

Species nostra Cavoliniae (Hyaleae) trispinosae Lesueur (Cfr. Quoy et Gaim. Voyage de l'Astr. Vol. II. pag. 378 Tab. 27. Fig. 17 – 19) similis, at satis aliena cuspidibus lateralibus multo minoribus ad axim testae non perpendicularibus, sed oblique inclinatis. — Figg. a b. c. d. in Chemnitzi operis volumine VIII. pag. 65. valde rudes et incompletæ, Cav. trispinosae magis respondent, quam huic nostræ speciei.

Qui genus Grayanum „Diaceria“ agnoscunt, hanc speciem ad genus illud transferant

GASTROPODA.

4. *Siphonaria Capensis* Quoy et Gaimard.

Voyage de l'Astr. Tab. 25. Fig. 28 et 29.

Habitat satis frequens ad lapides in litore prope Loandam et Benguelam.

Plura exemplaria exstant, quae docent, hauc speciem esse pervariabilem tam forma quam numero costarum, qui plerunque 40 — 50 efficit. Testa saepissime ad apicem erosa et detrita; canaliculus siphonalis haud raro obsoletissimus, vix dignoscitur.

5. *Siphonaria striato-costata* Dkr.

vide Tab. nostr. Fig. 1 — 6.

Testa ovalis vel elliptica, depresso-conoidea, costis elevatis substriatis albis vel griseis et interstitiis fuscis costulatis radiata; apex excentralis, subobliquus, acutiusculus; facies interna splendidissima nigricans vel fusa, plerunque lineis fuscis et albidis radiatum picta; siphunculus obsoletus; impressio muscularis satis distincta; margo subdenticulatus, intus crenulatus. — Long. specimenis maximi 9 lin. Long. latit. alt. = 100 : 80 : 35.

Siphonaria striato-costata Dkr. *Zeitschr. für Malacoz.* 1846, pag. 24.

Haec species peculiaris primo adspectu *Siphonariae Capensi* similis est, differt vero praesertim et costis et interstitiis latioribus striatis, quorum numerus marginem versus crescit, et forma depressiore.

Habitat in litore prope Benguelam lapidibus aliquique corporibus adhaerens.

6. *Siphonaria Jonasii* Dkr.

vide Tab. nostr. I. Fig. 7 — 12 varr.

Testa parva ovalis depressa, obsolete costata, costae nigro-castaneae flexuosoae, interstitia albida, apex submarginalis; intus lineis albidis et nigricantibus irregulariter radiata; margo subcrenulatus. — Long. 5 lin. Long. lat. alt. = 100 : 88 : 30.

Siphonaria Jonasii Dkr. l. c. pag. 25.

Species apice submarginali insignis.

Habitat prope Loandam rara. Duo tantummodo specimina attulit noster.

7. Siphonaria variabilis Krauss.

Südafr. Mollusken pag. 59. Tab. IV. Fig. 4 a.

Plura specimen ad Loandam et Benguelam lecta exstant, quae figuris a Martinio datis (conf. Conch. Cab. Tom. I. Tab. 7. Fig. 56 et 57) plane respondere videntur; sed nihilominus dubiosum est, utrum hae icones verae sint Siphonariae an Patellae. Pro nostra opinione et Siphonaria oculus Kr. (l. c. pag. 58. Tab. IV. fig. 3) hoc pertinet, cum arctis limitibus ab illa, quam vulgo Siphonariam leucopleurani (de Blainv.) dicunt, separari nequeat. An Patella leucopleura Gmel. pag. 3699. n. 34 et Siphonaria leucopleura de Blainv. Diet. des sc. nat. Tab. 49. pag. 293. eadem sint, difficile est dijudicare.

8. Gadinia Afra Gray.

Unum tantum specimen parvae cochleae exstat haud procul ab urbe Benguela lectum, minore testa excepta plane conveniens iconi Adansoniana Tab. 2. fig. 4, quae „Gadin“ nominatur, *Gadinia afra* Gray.

Testa ovato-orbicularis, crassa, costis creberrimis inaequalibus rugoso-asperis a vertice submedianō radiantibus instruta est. Vertex detritus, erosus. Color albidus, intus pallide rufescens, praesertim ad impressionem muscularem, quae distinet observatur. Sine dubio hoc spectat genus *Mouretia* Sow Zool. Proceed. 1835 et *Monretia* costata in el. Kraussii opere supra citato pag. 57 descripta eadem est species. Le Mouret Adams. *Siphonariae* species quaedam esse videtur. — Quae-nam sit species *Patella reticulata* L. „testa integrā, conica, compressa, vinoso reticulata.“ Syst. Nat. XII, pag. 1261, n. 777. Mus. Lud. Uhr. pag. 695, n. 424. Schröt. Etbl. II, pag. 433, Tab. V, Fig. 7) certe dici non potest, cum descriptio Linnaeana et icon Schröteriana haud sufficiente. Fortasse pertinent ad *Gadiniam* (*Pileopsis*) *Garnoti* Payr., quae ex sententia clar. Gray, cum *Gadinia Afra* jungenda est, quod ego vero non crediderim, cum *Gadinia Garnoti* satis diversa videatur non solum testa multo minore et striis confertioribus, sed etiam margine incrassato subtilissime crenulato.

9. Bulla Adansonii Phil.?

vide Tab. nostr. IV. Fig. II. 12. var. minor.

Unicum specimen ad Loandam lectum testa solidā, parva, lutescente, punctulis subfuscis conpersum insigne est. Striae transversae ad basin distinctae

apparent; vertex perforatus; apertura superius angustata, inferius dilatata; labrum acutum intus incrassatum, medio depresso, subsinuatum. — Huc pertinet ut putamus „de Gossen“ Adansonii Tab. 1, Fig. 2. Bulla ampulla var. Gimel. Ob staturam multo minorem fortasse est nova species.

10. *Bulla perdicina* Menke in lit.

Plura exemplaria paulo laesa colore et pictura quasi pennata insignia in eodem litore lecta exstant. Species Bullae ampullae peraffinis est. Denominatio Menkeana bene respondet picturæ. Descriptionem accuratam expectamus.

11. *Helix aspersa* Müll.

vide Tab. nostr. I. Fig. 37, 38. var. minor. (obreniunt minora adhuc exemplaria).

In insula Fayal multa specimen legit noster. Omnia testa parva, globosa et colore obscuro cognoscuntur. Peristoma interdum subroseum appareat. — Haec species per magnam terrae plagan dispersa est. — Cfr. Ludov. Pfeifferi Monographia Heliceorum viventium I. pag. 241.

12. *Helix pisana* Müll.

Plures varietates tam formæ, quam colore insigiles in insula Fayal lectæ exstant. — Cfr. Monogr. Helic. viv. I. pag. 152.

13. *Helix advena* Webb et Berthelot.

vide Tab. nostr. I. Fig. 21, 22, 23.

Specimina tria exstant ex insula St. Vincent reportata. Magnitudine et colore vivido notanda sunt. — Cfr. Mon. Hel. viv. vol. I. pag. 270.

14. *Helix paupercula* Lowe.

rid. Tab. nostr. I. Fig. 31. spec. maximum magnitudine naturali 32, 33, 34. magna, aucta.

Plura huius speciei specimen attulit noster ex insula Fayal, ubi locis humidis sub lapidibus prope urbem Horta frequenter invenitur. Omnia fasciis plus

minusve distinctis cinguntur. Varietas edentula (Helix trachelodes Menke in Zeitschr. für Malacoz. 1845, pag. 131) multo rarius occurrere videtur. Exemplaria, quae clari. Albers ex insula Madera imperrime reportavit, majora sunt et colore fusco carent. — Cfr. Monogr. Hel. viv. vol. I, pag. 189.

15. Bulimus solitarius (Helix) Poiret.

vide Tab. nostr. I. Fig. 28, 29, 30.

Bul. (Hel.) conoideus Drap.

In insula Fayal satis frequens. Plura specimenia lecta sunt colore variabiliæ. — Cfr. Monogr. Hel. viv. II, pag. 216.

16. Bulimus ventrosus (Helix) Féruſſac.

vide Tab. nostr. I. Fig. 26, 27. var.

Haud raro obvenit in insulis Azoris lapidibus humidis insidens. Varietas depicta testa temui, grisea et fusco strigata insignis est. — Cfr. Mon. Hel. viv. Vol. II, pag. 215.

17. Bulimus variatus Webb et Berthelot.

vide Tab. nostr. I. Fig. 24, 25.

Plura exemplaria maximum partem nondum adulta reportavit noster e regione upbis Horta insulae Fayal, ubi sub lapidibus humosis reperta sunt. — Cfr. Mon. Hel. viv. II, pag. 125.

18. Bulimus Féruſſaci Dkr.

vide Tab. nostr. I. Fig. 35, 36.

Testa elongato-conica, apice obtusiuscula, umbilicata, subnitida, albida vel subflava; anfractus septem parum convexi, strigis subcoeruleis diaphanis punctisque luteis adpersi, ultimus $\frac{1}{2}$ totius fere longitudinis aequans, fascia badia ornatus; apertura ovata; labrum simplex; margo columellaris reflexus. — Alt. 7 lin. Alt. diam. = 100: 48.

Bulimus Féruſſaci Dkr. in Zeitschr. für Malacoz. 1845, pag. 164.

— — — *Pfeiffer* Mon. Hel. viv. vol. II, pag. 212.

— — — *Reeve* Conch. icon. vol. V, spec. 441.

Tria huius speciei exemplaria plane congruentia exstant.

Habitat ad Loandam in montibus arenosis haud frequens; nuperrime et in litore Africæ orientali detecta est.

19. Bulimus Benguelensis Pfr.

„T. aperte perforata, ovato-conica, solida, laevigata, lutescenti albida, superne nigricanti-castanea; spira conica, acuta; anfractus 6 planiusculi, ultimus spiram subaequans; apertura oblonga; peristoma simplex, rectum, margine columellari dilatato, nitido, fornicate in reflexo. — Long. 17, diam. 8 mill. longa, $4\frac{1}{2}$ lata.“

Bul. Benguelensis Pfr. Symb. III, pag. 210.

— — *Reeve Conch. icon. spec.* 298.

— — *(Rachis)* Albers pag. 183.

Habitat prope Benguelam Africæ occidentalis.

Hæc species nobis deest.

20. Achatina Pfeifferi Dkr.

rid. Tab. nostr. I. Fig. 39, 40.

Testa ovato-turrita, solidiuscula, nitida, sordide alba seu lutea, strigis flammulisque longitudinalibus fuscis ornata, epidermide subflava induita; spira elongata apice obtusa; anfractus convexiusculi 8 — 9 longitudinaliter obsoleteque striati, superiores infra suturam obsoletissime decussati, ultimus $\frac{2}{3}$ totius fere longitudinalis adaequans; apertura ovalis; columella valde arcuata; peristoma acutum. Altit. fere sesquidigitalis. Alt : diam. = 100 : 35.

Achatina Pfeifferi Dkr. in Zeitschr. für Malacoz. 1845, pag. 163.

— — *Phil. Icon. II.* pag. 214. Tab. I. Fig. 2.

— — *Pfr. Mon. Hel. viv. vol. II.* pag. 259.

— — *Reeve Conch. icon. vol. V.* spec. 1.

Habitat ad Loandam in montibus arenosis haud frequens.

21. Achatina semisculpta Pfr.

rid. Tab. nostr. I. Fig. 41, 42.

Testa ovato-turrita, apice obtusa, plerumque tenuis, longitudine confertim et subtiliter undato-rugulosa, striis obsoletis transversis decussata inde granulosa,

alba, flammulis strigisque flexuosis fuscis et badius variegata, epidermide subflava vestita; anfractus convexiusculi 8, ultimus spiram fere aequans, basin versus striis transversis carens; apertura oblonga; columnella parum arcuata. — Alt. 1 poll.
9 lin — 2 poll. 3 lin. Alt.: diam. = 100 : 45 — 50.

Achatina semisculpta Pfr. in Proc. Zool. Soc. 1845, pag. 74.

— — Dkr. in Zeitschr. für Malacoz. 1845, pag. 163.

— — Pfr. Mon. Hel. viv. vol. II, pag. 255.

— — Reeve Conch. icon. vol. V, spec. 37.

Exstat triplex huius speciei varietas:

- testa tenui angustiore, strigis rufis flexuosis et undulatis ornata;
- testa tenui magis ventrosa strigisque sparsis evanescentibus picta;
- testa solidiore minore.

Habitat prope Benguelam frequentissima.

22. *Planorbis Benguelensis* Dkr.

rid. Tab. nostr. II. Fig. 1, 2, 3. magnit. aucta. Fig. 4 m. naturali.

Testa pallide cornea, nitida, diaphana, tenerrime obsoleteque striata, supra convexa, infra plana, seu paulo concreta, umbilicata; anfractus quinque valde involuti; ultimus leviter marginatus, $\frac{1}{3}$ totius diametri aequans; apertura lunata; peristoma acutum, margine superiore arcuatim curvatum et prominens. — Diam. 3 lin. Alt. 0,8 — 0,9 lin.

Planorbis Benguelensis Dkr. in Zeitschr. für Mal. 1845, pag. 164.

Quod attinet ad formam similis est *Planorbi* (Helici) nitido Gmel., sed dentes interni desunt. Habitat ad Benguelam una cum *Bulino scalari* plantis aquaticis adhaerens.

23. *Bulinus scalaris* Dkr.

rid. Tab. nostr. II. Fig. 5. magn. naturali. Fig. 6. m. aucta.

Testa subturrito-elongata, tenuissima, pallide cornea, nitida, diaphana, subhyalina; spira exserta; anfractus quinque vel sex convexi subtilissime striati, sutura profunda disjuncti, ultimus spira parum major; apertura oblique ovata ad marginem columellarem subreflexa, ita ut fissura umbilicalis appareat. — Altit. speciminis maximi fere semidigitalis. Altit.: diam. = 100 : 40.

Physa scalaris Dkr. in Zeitschr. für Malacoz. 1845, pag. 164.

Habitat in lacibus quibusdam regionis paludosae ad Benguelam.

Forma propria et nova Physae Wahlbergii Kr. cognata, ab omnibus reliquis Bulinorum speciebus satis distincta.

24. Bulinus Schmidtii Dkr.

vide Tab. nostr. II. Fig. 7 magn. nat. Fig. 8. m. aucta.

Testa elongata, nitida, diaphana, pallide cornea; spira exserta acuta; anfractus 4 — 5 tumidi, tenerrime striati, sutura profunda separati, superiores costulati; apertura oblique ovata; columella subreflexa. — Alt. $4\frac{1}{2}$ lin. Alt. : diam. = 100 : 48.

Habitat una cum antecedente, cui simillimus est, distinguitur vero testa breviore, paullo solidiore, anfractibus magis inflatis, superioribus distincte costulatis.

25. Melania Tamsii Dkr.

vide Tab. nostr. II. Fig. 9 et 10.

Testa subulato-turrita, subnitida, epidermide olivacea strigisque flexuosis longitudinalibus rufis ornata; anfractibus 8 — 9 convexiusculis transversim striatis instructa, ultimus $\frac{1}{3}$ totius altitudinis aequans; sutura distincta; apertura subelliptica; columella albida, labrum dextrum acutum. — Alt. 11 lin. Alt. : diam. = 100 : 35.

Melania Tamsii Dkr. in Zeitschrift für Mal. 1845. pag. 165.

Species haec elegans in individuis adultis apice plerumque erosa, magnam affinitatem praebet cum Melania flammigera Dkr. (conf. Phil. Icones II. pag. 163. Tab. III. fig. 11); differt vero forma minore, testa crassiore, anfractuum numero pauciore; Melania tuberculata Müll. (fasciolata Oliv.) plicis obsoleteis longitudinalibus instructa est.

Plura specimina reportavit clarissimus noster peregrinator ex insula St. Anton.

26. Litorina globosa Dkr.

vide Tab. nostr. IV. Fig. 9 et 10.

Testa globosa vel globoso-conoidea, crassa, transversim obsoleteque sulcata, griseo-fusca seu badia, maculis strigisque fusco minutis, partim flexuosis picta; spira

brevis plerumque obtusata; anfractus 4 subito crescentes, ultimus ventrosus; apertura rotundo-ovata; faux nigro-fusca, infra albo lineata; columella arcuata, dilatata, excavata. — Operculum obscure corneum, linea late spirali instructum. — Alt. speciminiis maximis 7 lin. Alt. : diam. = 100 : 76.

Litorina globosa Dkr. in Zeitschr. für Malac. 1845. pag. 165.

— — Phil. Abb. III. pag. 58. 64. Tab. VII. fig. 10. (Specimen minus paulo detritum repraesentatur.)

Habitat in litore lapidoso ad Loandam frequens.

Plurima specimenia vetustate et fluctuum agitatione detrita et rotundata sunt, ita ut pictura genuina haud clare eluceat. Litorinæ striatae King arctissime coquata est haec nostra species, ut bene monet I. c. clar. Philippi; anfractibus vero magis convexis, striis levioribus et spira breviore distinguitur.

27. *Litorina striata* King.

vide Tab. nostr. II. Fig. 49 et 50. 51. operculum exhibit.

Testa ovato-globosa, apice acuta, crassiuscula, cinereo vel sordide fusca, immaculata, interdum punctulis obsoletissimis fuscis adspersa, transversim costulata, costulae 18 — 24 plus minusve distinctæ; spira brevis; anfractus 5 — 6 subito crescentes, ultimus spira ter major; apertura rotundato-ovata, ad basin in angulum producta; columella arcuata, dilatata, planata, imo excavata, subfuscæ; fauces nigro-fuscae, fascia alba basali signatae. Operculum tenue ut in praecedente. — Alt. $5\frac{1}{2}$ lin. Alt. : diam. = 100 : 70 ad 80.

Litorina striata King 1831. Zool. Journ. V. pag. 345.

Lit. canariensis d'Orb. (1836 — 1844.) Descr. des Iles Canaries etc. pag. 78. Tab. 6. fig. 8. 9. 10.

Lit. arenica Nuttall mscr. Dkr. in Zeitschr. für Malac. 1845. pag. 166.

Lit. granosa Phil. Abb. vol. III. pag. 59. 65. Tab. VII. fig. 14.

Variat haec species respectu habitu costarum, quae saepius granulosæ inventiuntur, præsertim in anfractu ultimo; interdum costæ validiores et subtiliores alternant.

Species a tergo leviter spectata Litorinæ litoreæ nondum adultæ haud dissimilis est, a forma vero Litorinæ rufis, quacum clar. d'Orbigny illam comparat, multo magis discedit. Comparatione accuratissima persuasum nobis est Litorinam

granosam Phil. hue pertinere, quum specimen granulifera, quae saepius obveniunt, sensim in Litorinam striatam transeant.

28. *Litorina affinis* d'Orbigny.

vide Tab. nostr. II. Fig. 28 et 29.

Testa ovata, fere biconica, fusca, transversim striata, ad suturam nodulosa; tubercula series duas in anfractu ultimo formantia; spira acuta brevis dimidiam aperturam adaequans; anfractus sex vel septem, superiores fere plani; apertura ovata ad basin producta, paulum effusa; columella dilatata planata, inferne excavata, fauces nigro-fuscae fascia tenui alba basali notatae. — Operculum nigro-corneum ut in speciebus antecedentibus. — Altit. speciminum majorum circa 5 lin.; mensurae ratio fere eadem atque in *Litorina striata* King.

Litorina affinis d'Orb. Descr. des Iles Canaries pag. 79. Tab. 6. fig. 11—13.

— — Phil. Abb. vol. II. pag. 16. (146) Tab. II. fig. 19.

Ad Loandam frequentissima. (Teneriffa d'Orbigny.)

Species sculpturae concinnae in anfractu ultimo duas tuberculorum series plus minusve distinctas ostendit, quae singula specimen fere bicarinata reddunt. Praeterea haec cochleola striis 16—20 minoribus partim granuliferis cincta est. In speciminiibus nonnullis noduli et granula seriatim ordinati costulas longitudinales formant. Color plerumque griseo-fuscus, noduli albidi eorumque interstitia interdum coerulecentia partim atra apparent. Testa limo obducta esse solet.

29. *Litorina punctata* (*Turbo*) Gmel.

vide Tab. nostr. II. Fig. 23 et 25. Fig. 24. varietatem exhibet.

Testa oblongo-ovata, acuta, obsolete transversimque striata, pallide fusca vel subolivacea, maculis albidis guttata, interdum subreticulata, anfractus quinque vel sex parum convexi, ultimus inferne subangulatus, spira, si cochleam a tergo inspicis, duplo major; apertura patula, ovata, fere $\frac{3}{5}$ totius testae aequans; limbus labri intus albidus, fusco punctatus; columella fusca planata basin versus leviter excavata; fauces atrofuscae vel castaneae; fascia basalis alba.—Operculum tenuissimum late spiratum fuso-corneum. — Alt. speciminum majorum fere 7 lin.; altit. aperturae 4 lin. Altit. et latit. respondent numeris 100 : 70.

Le Marnat Adans. Hist. du Sénég. pag. 168. Tab. 12. fig. 1.

— — *Schröter* Einl. vol. II. pag. 104.

Turbo punctatus Gmel. pag. 3597.

Lit. punctata Desh. edit. II. Lam. vol. IX. pag. 204.

— — *Phil.* Abb. vol. II. pag. 30. 198. Tab. IV. fig. 11.

Patria: Senegal (Adanson) frequentissima ad Loandam (Tams.)

Adansonius primus hanc speciem observavit. Quamvis icon ejusdem haud plane sufficiat, tamen descriptio tam accurata et exacta est, ut dubitari nequeat, quin le Marnat huc referendus sit. Ab auctore illustrissimo „Trochis“ admuntratur, qui vero genuinae sunt Litorinae, ut ex iconibus testarum et animaleculi ipsius descriptione eluet. Schröterus et Gmelinus nostram cochleam ad Turbines referunt.

30. *Litorina pulchella Dkr.*

vide *Tab. nostr. II. Fig. II — 20.*

Testa ovato-conica, acuta, subnitida, coeruleo-viridescens, punctis subregularibus albis per series pista; anfractus quinque vel sex planiusculi, ultimus basi obsolet carinatus; aperturae ovatae faux rufa vel nigricans. — Operculum, ut solet, fuscocorneum. — Alt. fere 6 lin. Alt : diam. = 100 : 50.

Litorina pulchella Dkr. in Zeitschr. für Mal. 1845. pag. 166.

— — *Phil.* Abb. vol. II. pag. 30. 198. Tab. IV. fig. 8.

Quadruplex exstat hujus speciei varietas:

- a) testa ovato-conica, subtilissime striata, anfractu ultimo subventrioso, coerulecente, lineis reticulatis olivaceis pista;
- b) testa angustiore fasciis duabus vel tribus candidis lineolis maeulisque flavis vel aurantiis insigni;
- c) testa obscura viridescente punctis albidis minimis adpersa;
- d) testa conoidea subtus carinata, pictura praecedentis.

Habitat haec species elegantissima in litore ad Loandam satis frequens, sed varietates b et d rarissimae inveniuntur.

Cochleola antecedenti similis, sed habitu minore, apertura minus dilatata colore et pictura vivida diversa est.

31. **Litorina cingulifera Dkr.**

ride Tab. nostr. II. Fig. 26 et 27.

Testa ovato-acuta, subnitida, albida vel albido-coerulescens, transversim obsolete sulcata lineisque fuscis cineta; aufractus 5—6, ultimus a tergo spectatus $\frac{2}{3}$ totius testae fere adaequans; sutura distincta; apertura ovata; columella obliqua subarcuata, margine interiore albida; fauex cinerea vel albido-coerulescens, lineis fuscis translucidis signata. — Alt. 6 lin. Alt.: diam. = 100 : 56.

Litorina cingulifera Dkr. in Zeitschr. für Malacoz. 1845, pag. 166.

— — — *Phil. Abb.* vol. II. pag. 34 (202) *Tab. IV.* fig. 19.

Testa fere glabra sub lente transversim striata. Aufractus convexiusculi striae incrementi obsoletas ostendunt; cingulorum 16—20 suprema fusco et albido maculata, interrupta videtur. Operculum tenue, corneum, late spiratum, ut in ceteris Litorinis. Duo tantummodo specimina ad litus sabulosum prope Loandam lecta exstant.

32. **Litorina angulifera (Phasianella) Lam.** var.

ride Tab. nostr. II. Fig. 38. 39.

Ad hanc cochleam frequentissimam et variis regionibus late dispersam specimen nonnulla referenda esse opinor, quae peregrinator noster ex Guinea inferiore attulit. Quamvis inter se pervariabilia sint, omnia tamen in eo convenient quod carina plane parent, ceterum autem descriptiones et icones, quas novimus, in ea omnino quadrant. At vero quaeritur an *Litorina* (*Helix*) secura Linnaei, quam auctores quidam ad *Phasianellam anguliferam* non referunt, sed pro genuina specie habent, pari modo huc pertineat, cum constet, speciem, de qua sermo est, mirum in modum variabilem esse. Nobis saltem haud contigit differentias constantes inter *Litorinam securam* et *anguliferam* cognoscere. Conferatur descriptio monographica generis *Litorinarum* in *Phil. Abb.* vol. II. pag. 12. 121 et seq.

33. **Turritella bicingulata Lam.**

Plura specimen ex insulis St. Antonio et St. Vincent adsunt colore et sculptura variantia. Unum exemplar exstat sutura minus constricta et sculptura subtiliori insigne. *Turritella annulata* Kieneri (Iconogr. Tab. 13, fig. 1) fortasse huc referenda est. Praeterea *Turritellae* cuiusdam fragmentum exstat, fortasse „*le Ligar*“ Adansonii, *Turr. flammulata* Reeve.

34. **Mesalia brevialis (Turritella) Lam.**

Le Mesal Adans. Sénég. pag. 159. Tab. X. fig. 7.

Turritella brevialis Lam. An. sans vert. ed. II. vol. IX. pag. 256.

Mesalia sulcata Gray.

Turritella varia Kien.

— — — Reece Conch. icon. vol. V. spec. 2 et Tab. V. (Turritella) fig. 16 a. b.

Specimen unicum apice paulo detritum exstat incerti loci natalis, ad minorem varietatem pertinens, quae Kienero est Turritella varia. Hoc specimen plane respondeat figurae excellenti 2 a Conchyliologiae iconicæ — Ad hoc genus Grayanum Turritellis affine sine dubio plura testacea fossilia referenda sunt, ex. gr. cochlea quaedam e formatione quac vocatur liasina, quam pridem Melaniam Turritellam appellavi; conferantur Palaeontographica I. pag. 109. Tab. XIII. fig. 5. 6. 7. Prope accedunt hæc cochleæ ad Melanias, si respicimus aperturæ formationem, sed totus eorum habitus Turritellis respondet.

35. **Natica maroccana (Nerita) Chemn.**

vide Tab. nostr. II. Fig. 30. 31. 32. (in figura 30 umbilicus non distincte expressus est.)

Conch. Cab. V. pag. 270. Tab. 188. fig. 1905 — 1910, ed. alt. Tab. 3. fig. 10 — 13. 25. 26. icones meliores in Tab. 12. Fig. 1 — 5. descriptio hue usque desideratur.

Quoy et Gaimard Voy. de l'Astrol. Vol. II. pag. 236. Tab. 66. fig. 16 — 19.

Nat. maroccana Koch in Zeitsehr. für Mal. 1844. pag. 151.

Haec species pervariabilis pluribus speciminiibus exstat e regione Loandæ atque Benguelæ. In opere Adansonii descriptio et icon ejusdem desiderantur. Naticam unifasciatam Lam. (Delessert Recueil etc. Tab. 32. fig. 13.), Chennitzi Pfi. Krit. Reg. aequæ ac luridæ Phil. pro varietatibus tantum ad hanc nostram speciem adnumerandas esse, l. c. primus docuit cl. Fr. Koch. — Operculum calcareum, albidum, externe laevissimum valde politum, margine exiguo dextrorsum circumscripturn, interne tenuissime striatum et epidermide pallide olivacea obductum. Nihilominus sunt Naticarum species operculo corneo instructæ, quibus fere talis est forma qualis nostræ cochleæ.

36. Natica fulminea (Nerita) Gmel.

Lam. Hist. des an. sans vert. VIII. pag. 641.

Adanson Sénég. pag. 177. Tab. 13. fig. 3. (le Gochet) bene.

Phil. in Mart. Chemn. Conch. Cab. edit. II. pag. 17.

Unum exstat specimen paulo detritum incerti loci natalis.

37. Nerita atrata Chemn.

Conch. Cab. vol. V. pag. 296. Tab. 190. Fig. 1954. 1955. — „Le Dunar“ Adans. Sénég. pag. 188. Tab. 13. Fig. 1.

Chemnitzius hanc speciem hisce verbis designat: „Nerita atrata laevis, lineis obsoletis vix manifestis in fundo nigerrimo circumdata, apice plerunque deraso albido, labio exteriore intus striato, striis lateralibus dentiformibus; labio interiore rugoso, punctis eminentibus adsperso, subtus denticulato.“ Haec verba pari modo et descriptio copiosa Adansonii plane quadrant in exemplaria nostra ad St. Vincent et Benguelam lecta, excepta eorum statura paulo minore. Clar. Deshayes Neritam punctatam Quoy et Gaim. Voy. de l'Astrol. III. pag. 185. Tab. 65. fig. 41 et 42 ad hanc speciem refert, et equidem consentio.

38. Janthina planispirata A. Adams.

Testa fragilis depresso-conoidea, supra livido-alba, infra vivide violacea, columellam versus pallidior; anfractus 4 — 5 celeriter crescentes sutura profunde incisa separati, utrinque parum convexi, ad peripheriam subangulati, striis et plicis incrementi subtilibus sulcisque nonnullis irregularibus transversis, praesertim in facie inferiore conspicuis, instructi; spira depressa; columella recta margine involuta subobliqua; labrum medio emarginatum.

Janthina planispirata A. Adams in Zool. Voy. Samarang pag. 54. Tab. XI. fig. 10.

Tria exemplaria majora exstant in regione insulae St. Vincenti capta.

Anfractus embryonales vitrei minimi mucronem obliquum singularem formant ut in aliis speciebus. *Janthina bicolor* Menkei Synops. pag. 140. certe huic similis est.

39. Planaxis Herrmannseni Dkr.

ride Tab. nostr. II. Fig. 33. 34.

Testa parva, solida, nitida, ovato-oblonga, acuta, apice basique transversim sulcata, atro-fusca lineis albidis cincta; anfractus 6 — 7, ultimus valde amplificatus; apertura patula ovata; labrum crassum intus sulcatum; columella laevis subsinuata, cauda rima umbilicari notata; fauces coeruleo-lacteae. — Long. fere 5 lin. latit. 3 lin.

Obvenit ad Bengueam.

Planaxi lineato (Buccino) d'Acosta (Bucc. pediculari Lam.) similis, sed statura multo majore, anfractu ultimo valde amplificato, apertura patula, cauda rima umbilicari instructa sine dubio diversa est; Plan. striatulus Phil. in Zeitschr. für Malac. 1851. pag. 91. habitu et sculptura non minus discedit a nostra specie.

40. Planaxis Albersii Dkr.

ride Tab. nostr. II. Fig. 35 et 36. magn. aucta, Fig. 37. m. naturali.

Testa exigua fusco-atra unicolor, laevigata, basi sulcis exilibus 5 — 6 arata, anfractus 5 — 6 parum convexi, ultimus (a tergo spectatus) spira duplo longior; apertura ovata paulo dilatata ad angulum superiorem callositate tuberculi instar munita; labrum perparum reflexum intus crenulatum; lirae faucium omnino deficienes. — Long. 3 lin. latit $1\frac{2}{3}$ lin.

Tria existant specimenia plane congruentia ad Loandam lecta.

Planaxis niger Quoy et Gaimard Voy. de l'Astr. vol. II. pag. 491. Tab 33, fig. 22 — 24 ex insula Nova Guinea speciei nostrae certe peraffinis, sed descriptio nem l. e. iconi haud respondere dolendum est. — Occasione data hic moneo Planaxis nucleus (Purpuram) ex sententia clar. Deshayes, si respicias operculi structuram, genuinum esse Buccinum, quod ego quidem non crediderim.

41. Trochus Tamsii Dkr.

ride Tab. nostr. II. Fig. 40. 41. 42.

Testa conoidea, apice acuta, imperforata, atra vel atro-purpurea, maculis strigisque undulatis albis variegata; anfractus quinque sutura parum profunda disjuncti, superiores unicarinati, ultimus fere bicarinatus; basis convexiuscula glabra, in centro paulo cavata; apertura orbiculato-rhombea, labro nigro subacuto circum-

data; columella obliqua dente valido terminata. — Diam. max. 7 lin., altit. axeos fere 6 lin. in specimine depicto.

Trochus atratus Wood 1828. Suppl. Tab. V. fig. 25. (non *Turbo atratus* Gmel.)

Trochus Tamsii Dkr. in Phil. Abb. vol. I. pag. 189. Tab. V. fig. 3.

— — *Phil.* in Mart. et Chemn. edit. II. pag. 160.

Plura specimenia ad Loandam lecta exstant latitudine, altitudine et pictura variantia.

Testa haud solida, plus minusve conica, interdum subglobosa; anfractus quinque parum convexi, supra suturam obtuse angulati, ultimus fere biangulatus; basis plano-convexa medio paulo cavata; umbilicus in speciminiibus adultis callositate alba obtectus, in junioribus rima parvula umbilicaris conspicua; apertura vivide iridescent, color vero externus opacus, fundus atro-purpureus plerunque maculis strigisque undulatis vel flammulis albis variegatus; apex in omnibus, quae exstant exemplaribus detritus et erosus. — Operculum fragile ut solet cornuum.

Cum *Turbo atratus* Gmelini verus sit *Trochus*, nomen Woodianum communari debebat. Haec species ad *Trochocochleas* Kl. pertinet.

42. *Trochus spadiceus* Phil.

vide Tab. nostr. II. Fig 43. 44. 45.

Testa conoidea umbilicata, purpureo-fusca seu spadicea, cingulis nigro articulatis ornata transversimque costata, costae minutae confertae partim granuliferae; anfractus quinque vel sex parum convexi sutura distincta separati, ultimus in peripheria maxima carinatus; margo umbilici leviter crenatus; columella superne soluta; umbilicus albidus cingulis nonnullis albo-nigroque eleganter articulatis circumdatus; labrum intus laevigatum. — Diam. max. $5\frac{2}{3}$ lin., altit. axeos 3 lin.

Trochus spadiceus Phil. Zeitschr. für Malac. 1848. pag. 125.

— — *Mart. et Chemn. Conch. Cab. ed. II. Tab. 36. fig. 7.* (Descriptio absoluta adhuc desideratur.)

Unicum hujus speciei exemplar optime conservatum ex insula Annabon retulit noster. Specimen alterum, quod vidimus in collectione Philippiana, tam colore quam sculptura a nostro paullum discedit, color scilicet fere purpureo-fuscus costaeque subgranuliferae. Ceterum mensurae sunt alienae, nam in specimine Philippiano paullo majore ratio inter diam. et axin est 100 : 62, in nostro autem 100 : 50. —

Clar. Phil. notat labrum intus sulcatum esse, sed hoc in errore nititur, cum species, quamvis adulta videatur, sulcis omnino careat. Si cochlea ad senectutem pervenit, fortasse intus leviter sulcatur. Ad Clanculos, genus Montfortianum, referenda est.

43. **Scalaria cochlea Sow.**

vide Tab. nostr. II. Fig. 46. 47 et 48. magnitudine paullo aucta.

Sowerby jun. Zool. Proc. 1844.

Thes. Conch. Tab. 35. fig. 142., quae quidem figura specimen majus exhibet quam nostra icon.

Quantum scimus tria tantum exemplaria retulit noster e regione Loandae. Testa costulis tenuissimis confertissimis adpressis crenato-fimbriatis varicibusque crassiusculis alternis bene designata est. Scalariam varicosam Lam. in mentem vocat.— Haec cochlea in collectionibus hucusque certe rarissime invenitur.

44. **Pyramidella dolabrata (Trochus) L.**

Linn. S. N. ed. XII. n. 601. pag. 1231.

Mus. reg. Ulr. pag. 651.

Chemn. V. fig. 1603. 4.

Lam. anim. sans vert. ed. II. vol. IX. pag. 55.

Habitat ad insulam Annabon satis frequens; in toto Africæ septentrionalis litore invenitur.

45. **Cerithium atratum (Murex) Born.**

vide Tab. nostr. III. Fig. 5 et 6.

v. *Born* Mus. pag. 324. Tab. 11. fig. 17. 18.

Plura specimina ad Loandam lecta exstant valde variantia; eorum maximum repraesentant figg. supra citatae. Icon Borniana in minora specimina nonnulla bene quadrat. Duplici tuberculorum prominentium serie plerunque cincta est haec species, in nonnullis exemplaribus vero testa seriebus pluribus granosis costulisque interstitionum simplicibus circumdatur, ita ut cochlea plus minusve exasperata appareat. Specimina nonnulla multis varicibus tuberculisque albidis gaudent. Exemplaria ex Antillarum insulis, quae habemus, excepta testa minore his Guineensibus omnino respondent.

46. **Buccinum lineatum Gmel.**

- Bucc. breirostrum, admodum crassum, fuscum, tenuiter striatum; e sinu Mexicano juxta Campeche.* Lister Conchyl. Tab. 938. fig. 33.
„Das linierte Kinkhorn“ Knorr Vergn. 3. 1768. pag. 30. Tab. 14. fig. 4.
Bucc. lineatum Gmel. S. N. 1. pag. 3493.
Le Tafon Adans. Sénég. pag. 133. Tab. 9. fig. 25.
Pollia variegata Gray Zool. of Bechey's Voyage pag. 112.
Buccinum virerratum Kien. pag. 35.
B. variegatum Reeve Conch. icon. spec. 48.

Quamvis icon Adansoniana sit admodum rudis, tamen e descriptione elucet, specimen nostrum ad Loandam lectum huc pertinere; icon Reeveana optime ei respondet

Adansonio teste haec cochlea ad insulam Goream nec non ad Teneriffam frequentissima invenitur rupibus insidens, quae ab undis alluumtur. Specimen collectionis nostrae alterum, quod e Brasilia originem dicit, testa breviore multo crassiore insigne est. Clar. Mörch hanc speciem ad genus Tritonoidea Sw. refert (cfr. Cat. Conch. Com. de Yoldi pag. 92. N. 1749.), quod sectionem cochlearum bene determinatam comprehendit. Cfr. et genus Pollia Gray l. c. pag. 111.

47. **Bullia Tamsiana Dkr.**

Testa ovato-turrita, crassiuseula, laevis, nitida; spira exserta acutissima, subgradata; anfractus 8 plani infra suturam valde callosam linea unica impressa cincti, ultimus circa $\frac{3}{5}$ totius testae aequans, ad basin lineis duabus leviter insculptis et costa rostrum unica instructus, columnella arcuata (truncata?) valde callosa, lutea. — Long. 10 lin., lat. max. fere $4\frac{1}{2}$ lin.

Unicum specimen labio basique paulo laesum, statu subfossili ad Loandam lectum exstat. Tota ejus testa unicolor flava seu lutea fuisse videtur; callus conlunellaris valde crassus colorem primarium fere extinctum ostendit. — Inter omnes quae mihi immotuerunt Bulliarum formas nullam inveni nostrae speciei plane convenientem. Buccino calloso Wood Ind. affinis est, sed statura minore graciliore et spirae formatione diversa videtur. „Le Rafel“ Adans. (Sénég. pag. 53. Tab. 4. fig. 2), qui fortasse est Bornii Murex vulpinus, ut recte monuisse videtur cl. Deshayes, pariter et „le Miran“ (fig. 1. ejusdem Tabulae) — sine dubio Buccinum politum Lam. — non minus ad hoc genus Grayanum referendi sunt.

Alia quoque species subfossilis testa valde crassa et spira haud callosa insignis, ad Loandam lecta exstat, quae vero tam incompleta est, ut accuratius determinari nequeat.

48. *Purpura neritoidea* (*Murex*) L.

Linn. S. N. ed XII. pag. 1219. *Nerita nodosa* ed. X.

Purpura neritoidea *Lam.* vol. X. pag. 70. (Respicenda est ibidem adnotatio *Deshayesiana*).

Duo hujus cochleae singularis specimina habitus minoris ad Benguelam et St. Vincent collecta exstant, alterum nodulorum serie quadruplici, alterum quinqueplici cinctum.

49. *Purpura Carolensis* Reeve.

Reeve Conch. icon. sp. 57.

Duo tantummodo exemplaria ad Loandam lecta reportata sunt a claro peregrinatore, quae exstant in Museo Hamburgensi.

Testa orbiculari-ovata, crassa, tetragyra, rufescens seu luteo rufescens; spira depressa brevissima; anfractus lineis lirisque subtilibus undique cincti, biserialiter tuberculati, tubercula magna compressa distantia; anfractus ultimus infra suturam acute carinatus, basin versus costula nodulifera obsoletissima instructus; apertura permagna ovata, circa $\frac{6}{7}$ totius testae aequans; columella plana medio subeavata, tuberculis et plicis nonnullis obsoletis signata; labrum dextrum acutum crenulatum, intus incrassatum costisque 4 distantibus nodulis terminatis notatum; fauces niveae.— Long. speciminis majoris fere 11 lin. latitudo ejus 9 lin. efficit.

Haec species similitudinem quandam offert non solum cum *Purpura Callaoënsi* Gray (cfr. *Reeve* sp. 79.), verum etiam, si respicimus ejus aperturam et spiram brevissimam, cum *Murice neritoideo* *Linnæi*.

50. *Purpura mancinella* (*Murex*) L.

Linn. S. N. XII. pag. 1219.

Born Mus. Caes. Vind. test. pag. 304. Tab. IX. fig. 19, 20.

Reeve Conch. icon. sp. 2. cfr. literatura in *Lam.* operis vol. X. pag. 69.

Fig. 5. tabulæ XXIV. in *Rumphii* Mus. mala, ut fere omnes tabulæ icones sinistrorsa.

Unicum specimen optime conservatum ad Loandam lectum exstat. (In Philippinarum insulis teste clar. H. Cuming.)

51. *Purpura haemastoma* (*Buccinum*) L.

vide Tab. nostr. III. Fig. 12. 13.

Linn. S. N. ed. II. pag. 1202.

Gmel. S. N. pag. 3483.

Reeve Conch. icon. sp. 21.

Kien. Icon. pag. 110. fig. 79. (sed plures alias Purpurarum species sub hac denominazione a Kienero confusas esse putamus).

Phil. Enum. Moll. I. pag. 218 etc.

Occurrit frequens prope Loandam et St. Vincent.

Exemplaria a clarissimo Tams e Guinea inferiore reportata satis declarant hanc speciem pervariabilem esse. Specimen, quod figg. nostrae 12 et 13 exhibent, ad eas varietates pertinet, quae unica tantum nodorum serie cinguntur, sed extant exemplaria nonnulla duplici, triplici et quadruplici nodorum serie circumdata; noduli supremi semper sunt magis prominentes. Non dubitamus quin haec omnia specimenia ad *Buccinum haemastoma* verum Linnaei pertineant, nam verba Linnaei bene in ea quadrant. Pari modo et „le Sakem“ Adansoni Sénég. pag. 100. Tab. 7. fig. 1. huc referendus est. Auctore egregio teste, qui de hac cochlea uberrime tractavit, frequentissima in insulae Goreae rupibus invenitur. Caro ejusdem mollis et boni saporis ab incolis consumuntur.

Sed restat, ut de aliis specimenibus in tabula nostra figuratis pauca dicam: Figg. 7 et 8 repraesentant exemplar junius colore obsevirore, carinis duabus nodorum obsoletorum lirisque subtilibus cinctum. Primo aspectu pullis quibusdam *Purpurae Rudolphi* (*Buccino*) Chemn. haud dissimile est, idem et de figuris 9. 10, specimen fasciis albis irregulariter interruptis insigne, dici potest; fig. 11 pullum pictura languida, fauibus albidis labri dextri sulcis castaneis insignem ostendit; figure denique 14 et 15 cochleam juniores repraesentant lineis albis fusco articulatis eleganter pictam. Hoc specimen varietates quasdam *Purpurae undatae* Lam. in mentem vocans, ad propriam speciem pertinere videtur, sed formis multis intermediiis cum reliquis cochleis arectissime conjunctum esse affirmo. Ut mea fert opinio ad nostram cochleam pervariabilem et illae icones spectant, quas clar. Reeve sub nomine Lamarckiano *Purpurae bicostalis* (Conch. icon. spec. 28. a. b.) delineavit.

Occasione hac oblata profiteor, Purpurarum formas ab auctoribus nonnullis nimis separatas et pro genuinis speciebus aestimatas esse.

52. *Purpura consul* (*Murex*) *Chemn.*

vide Tab. nostr. III. Fig. 22, 23 et 24. (operculum.)

Murex consul, *Chemn.* Conch. Cab. X. pag. 336. Tab. 160. fig. 1516, 1517.

— — *Reeve* Conch. icon. sp. 4.

Plura specimen statura minoris ad Loandam collegit noster. Figureae in Chemnitzi opere repraesentant specimen maximum, ut videtur decoloratum. Ple-
rumque haec cochlea fluctuum agitatione tam detrita est, ut sculptura propria in
ultimo tantum juniorum specimen anfractu observari possit. Tota scilicet testa
statu integro costulis elegantissimis confertimque imbricatis cingitur. Exemplar de-
pictum una nodorum crassorum serie cinctum est, sed in specimenibus quibusdam
et nodorum series duo vel tres valde obsoletae observantur. Quaeritur ergo utrum
haec specimen ad formas pertineant intermedias inter hanc speciem et Purpuram
haemastomam, an potius pro varietatibus nostrae speciei habendae sint.

Purpura consul et in Philippinarum insulis obvenit fide cl. Cuming.

53. *Purpura Forbesii* Dkr.

vide Tab. nostr. IV. Fig. 7 et 8. Fig. 13 operculum exhibet.

Testa ovata, crassiuscula, transversim denseque striato-suleata; spira exser-
tiuscula in specimenibus adultis heptagyna; anfractus superne angulati subscalati, in
fundo sordide albo vel cinereo fusco lineati, bi-, tri- et quadriseriatim tuberculati,
tuberculorum series basin versus evanescentes, supremae seriei tubercula acuminata
interdum subimbricata; labrum intus sulcatum ad marginem crenatum, lineis fuscis
translucentibus saepius signatum; rima umbilicalis columellae callositate obtecta. —
Specimen majorum altitudo fere 1 poll. 5 lin. efficit.

Habitat ad Loandam satis frequens.

Haec species a *Purpura* bituberculari Lam. certe diversa, inter omnes, quae
nobis innotuere icones, figuris Kienerianis 32 proxima est. Clar. Deshayes censem illas
Purpuram bitubercularem Lam. non exhibere, sed aliam speciem, quam *Purpuram*
Kieneri appellat. Haec vero non est sententia clar. Reeve, qui *Purpuram* Kieneri pro
mera *P. bituberculari* Lam., in Sebai figuris fundata, habet, quod deficiente Sebai
opere affirmare non possumus.

54. Cancellaria cancellata (Voluta) L.

Le Bivet Adans. Hist. du Sénég. pag. 123. Tab. 8. fig. 16.

Specimen junius haud adulatum adest ad Loandam lectum.

55. Harpa rosea Lam.

vide Tab. nostr. IV. Fig. 16. 17. var. minor.

Haec varietas testa minore, solidula costisque crassioribus fortiter angulis notata est. In regione urbis St. Anton collectam retulit noster.

56. Cassis spinosa Gron.

Gronorius Zooph. pag. 302. Nr. 1344. Tab. 19. fig. 9.

Mart. Conch. vol. II. fig. 369 et 374. — Conferantur synonyma in Lamarckii opere a Deshayesio edito vol. X. pag. 23.

Specimen giganteum fere 7 poll. longum ad Loandam lectum exstat. Haec cochlea et in litore Novae Hollandiae obvenire dicitur.

Pullorum habitus ab adultis discedit; sunt enim breviores, in spira granuliferi, in anfractu ultimo tuberculorum serie duplii cincti, longitudinaliter plicati et in plicarum interstitiis transversim striati, testa vero crescente sculptura sensim mutatur.

57. Cassis crumena (Cassidea) Brug.

Lam. an. sans vert. vol. X. pag. 25.

Duo specimina optime conservata ad St. Vincent lecta sunt, alterum majus evaricosum, alterum minus varicibus senis instructum. Hanc speciem viri quidam docti pro varietate tantum Cassidis testiculi habent, sed nostra opinione pro specie genuina bene distinguenda est non solum testa crassiore, antice magis attenuata, subpiriformi, turgida, sed etiam anfractibus postice plicato-tuberculatis, omnino sculpturae indole aliena. Valde dubitamus quin Cassis testiculus in litore Africano obveniat.

58. Ricinula ricinus L.

Murex Ricinus Linn. S. N. XII. pag. 1219.

Ricinula arachnoides Lam. X. pag. 49.

— — Reeve Conch. icon. spec. 5. optime! — Fig. E. Tab. XXIV. in *Rumphii Mus.* male et perverse delineata est.

Unum specimen ad Benguelam legit noster.

Cum Linnaeus l. c. os luteum et fauces violaceas appellet, opinor hanc ipsam speciem et Ricinulam horridam ab eo confusas esse. Ricinula albolabris Blainvillei nil nisi varietas hujus speciei esse videtur.

59. *Columbella striata* Duclos.

Kiener Iconogr. pag. 19. Tab. 2. Fig. 4.

Plura exemplaria ad Loandam et unicum ad Annabon lecta sunt.

Huc referendus est pro nostra opinione, „le Siger“ Adansonii (Sénég. pag. 135. Tab. 9. fig. 28.) neque *Columbella rustica*, ut Lam. et Desh. putarunt. Descriptio et icon optime quadrant in specimina nostra. Sed cochleola maximopere variat, praesertim respectu habito coloris, nam modo est rosea unicolor, modo alba vel cornea vel rufa maculisve fuscis et spadiceis reticulata aut varie picta. Fortasse et *Columbella* nucleus, fustigata et modesta Kieneri hue spectant, cum aliae quoque *Columbellarum* species ex. gr. *Columb.* (*Voluta*) *rustica* Linnaei et forma et pictura pervariabiles sint.

60. *Columbella cribaria* (*Buccinum*) Lam.

Bucc. cribr. Lam. X. pag. 176.

— — *Kiener Iconogr.* pag. 45. Tab. 16. fig. 57.

— — *Quoy et Gaim. Astrol. Zool.* vol. II. pag. 421. Tab. 30. fig. 21. 22.

Col. cribr. *Sow. Thes. Conch.* Tab. 38. fig. 112. 113 etc.

Plura specimina ad Loandam lecta sunt. Teste clar. Quoy ad insulam Ascensionis frequentissima est haec species. Exemplaria, quae clar. Tams retulit, nihilo discrepant a speciminiis, quae possidemus ex Antillis. Descriptio et icones, quas cl. Quoy et Gaimard dederunt, satis declarant hanc cochleolam melius ad *Columbellas* referendam esse. Le Barnet Adansonii Sénég. pag. 146. bene quidem et copiose descriptus, sed in Tab. 10. fig. 1. mediocriter delineatus, certe huc pertinet. Exemplaria quae ex insula Cuba clar. Gundlach misit, eodem modo apice erosa et truncata sunt uti specimina ex insula Gorea ab Adansonio descripta. Operculum eorum membranaceum fusco-corneum subellipticum, latere altero subcurvum, paullum attenuatum, pro exiguitate cochleolae magnum, valde discedit ab iconе Adansoniana.

61. *Columbella laevigata* (*Buccinum*) L.

Bucc. laevig. Linn. S. N. Gmel. pag. 3497.

— — *Payr.* Cat. des Moll. de Corse pag. 158. Tab. 8, fig. 1, 2, 3!

— — *Kien.* Icon. pag. 21, n. 22. Tab. 8, fig. 26 etc.

Exemplaria nonnulla valde detrita sine indicatione loci natalis retulit noster ex itinere. Ut putamus „le Bigni“ Adansonii (Sénég. 135. Tab. 9, fig. 27.) hic referendus est, quamvis icon haud sufficiat, nam spira nimis brevis delineata est.

Hacc cochleola late dispersa invenitur; habemus eam ex insulis Portorico et Cuba a clarissimis Menke et Pfeiffer, teste Payraudeau et in Mediterraneo ad insulam Corsicam occurrit, sed raro.

62. *Nassa ambigua* (*Buccinum*) Kien. (Mont.)

vide Tab. nostr. III. Fig. 1, 2, 3, 4. var. major et minor.

Duo specimina Nassae cuiusdam hie depinximus, alterum majus ad insulam Annabon, alterum minus ad Loandam lectum. Maxime convenientia haec duo specimina cum Bucc. ambiguo Kien. pag. 84. Tab. XXI. fig. 81., sed nescimus an hoc sit verum Bucc. ambiguum Mont. vel, quod idem est, Bucc. plicatum Brug. Testa speciminis majoris costis longitudinalibus 9 in anfractu ultimo instructum est, in minore costae confertiores 14, striis transversis exasperatae numerantur.

63. *Murex Senegalensis* Gmel.

Gm. S. N. pag. 3537.

Le Sirat Adams. Sénég. pag. 125. Tab. 8, fig. 19.

M. Brasiliensis G. B. Sow. jun. Conch. Ill. fig. 55.

Adansonio teste le Sirat saepius invenitur in insula Teneriffa, specimen nostrum inter mollusca erat, quae ab urbe Loanda originem ducunt. Possidemus quoque specimen minus plene congruens cum specimiinibus Africanis, quod e Brasilia misit ornat. Beseke.

Si *Murex* Luzonis Petiv. Gazoph. Nat. et Art. vol. II. cat. 248. Tab. 99. fig. 13., qui ab Adansonio citatur, hic pertinet, quod dijudicare haud possumus, cum hoc opus prorsus ignoremus, nomen hoc antiquius praferendum est.

64. Murex varius Sow.

vide Tab. nostr. III. Fig. 20. 21. var.

G. B. Sowerby jun. Zool. Proc. 1840. Conch. Ill. fig. 57. 108.

Unicum exemplar depictum ex itinere Africano retulit clar. Tams, at sine indicatione loci natalis. Specimen, quod figg. nostrae exhibent, varietas cochleae nondum adultae esse videtur; in anfractibus ejus superioribus tuberculi duo inter varices reperiuntur, in sequentibus unus tantum crassus.

65. Murex cristatus Brocchi.

vide Tab. nostr. III. Fig. 16. 17.

Brocchi Conch. foss. subappennina pag. 394. Tab. VII. fig. 15.

Cochleolam hic depinximus ad Annabon lectam, vario quidem modo a specie Brocchiana discrepantem, ex. gr. numero costarum seu varicuum, qui septem tantum efficit, ratione spirae aliisque notis, nihilominus tamen hue spectare videtur, cum constet, hanc speciem e Mari mediterraneo et tellure Italiae tertaria satis cognitam pervariabilem esse. Nostrum specimen magis ad eam varietatem accedit, quae in catalogo clar. Payraudeau Murex Blainvillei nominatur. Costae ejus nodulosae vix spinosae apparent. Aperturae formatio, labrum intus incrassatum denticulis quinis munitum, plica columellaris obsoleta, color, cauda brevis crassa, subrecurva, haec omnia optime respondent.

66. Tritonium Adansonii Dkr.

Murex Argus fasciatus Chemn. X. pag. 240. Tab. 160. fig. 122.

Unicum specimen ad Loandam lectum exstat statura minoris, varicibus plane deficiente insigne. Longitudo ejus vix $1\frac{1}{2}$ poll. efficit. Anfractus 7 convexi costis transversis 8 subtuberosis et undosis cincti; spira acuta fere $\frac{2}{3}$ totius testae, adaequat. Color canescens, costae fuscae; columella alba rugosa; labrum incrassatum albo-dentatum.

Cochlea nostra optime respondet iconi Chemnitziana, quam conchyliologi quidam pro Rauella vexillum Cumingii (Sow. Conch ill. sp. 3.) habent, a qua tamen aperturae forma et indole, costis transversis subnodosis paucioribus, anfractibus convexioribus, sutura profundiore, testa minore solidiore aliisque notis bene differt. Fortasse „le Voyet“ Adansonii Sénég. Tab. 8. fig. 12.) hue referendus est, qui a Chemnitzio et Schrötero male cum Tritonio pileari jungitur.

67. Tritonium obscurum Reeve?

vide Tab. nostr. III. Fig. 18, 19.

Icon nostra repreaesentat Tritonii speciem nondum adultam, quae fortasse ad *Tritonium obscurum* Reevei (cfr. Conch. icon. spec. 63.) pertinet.

Hoc specimen ex insula Annabon originem ducit.

68. Fusus morio (Murex) L.

Linn. S. N. ed. XII. pag. 1221.

Adans. Sénég. pag. 141. Tab. 9. fig. 31. le Nivar (specimen juvenile).

Unum specimen fere 5 poll. longum ad Loandam lectum exstat. Ad insulas Goree et Magdalene Adansonio teste satis frequens invenitur scopulis adhaerens, ad Curao Indiae orientalis teste Statio Müller. In litore Novae Hollandiae occidentali utraque varietas (*Fusus morio* et *coronatus* Lam.) collecta est a L. Preiss (cfr. Menke Specimen Moll. Nov. Holl. pag. 25); inde patet hanc speciem per magnum terrarum tractum dispersam esse.

Cochlea jam ex longo tempore nota, statu integro epidermide valida mu-seosa luteo-olivacea obducta est. Formam offert intermedium inter *Fusos* atque *Pyrulas*.

69. Pleurotoma spirata Lam.

Lam. an. sans vert. edit. Desh. vol. IX. pag. 348.

Unum tantum exemplar subfossile ad Loandam lectum adest, quod, quamvis ab iconibus Reeveanis et Kienerianis forma minore magisque coactata paulo discedat, tamen hue referendum esse arbitror. (Mare Chinense Lam.)

70. Strombus floridus Lam. var.

vide Tab. nostr. IV. Fig. 14, 15.

Lam. an. sans vert. IX. pag. 707.

Species habitu et colore valde variabilis. Figurae nostrae offerunt specimen coactatum albo labiatum, ad Loandam collectum.

71. Conus genuanus L.

vide Tab. nostr. IV. Fig. 20, 21.

Unum specimen ad insulam Annabon lectum exstat taeniosis distinctissimis aequalibus fusco alboque articulatis cinctum.

72. Conus testudinarius Mart. var.

vide Tab. nostr. IV. Fig. 24, 25.

Martini Conch. vol. II. pag. 250. Tab. 55. fig. 605.

Figurae nostrae varietatem minorem exhibent testa coeruleo-alba, maculis rubido-fuscis marmorata insignem. Hoc specimen optime conservatum ex insula Annabon retulit noster.

73. Conus Grayi Reeve.

vide Tab. nostr. IV. Fig. 18, 19.

Testa turbinata, solida, piriformis, tenerrime striata fere laevigata, basin versus lacteo-alba vel cinereo-coerulea maculisque irregularibus fuscis aut fusco-nigricantibus marmorata, interdum undata; spira convexa 9 gyra, spiraliter striatoluteata; apex mucronatus roseus.

Reeve Conch. icon. spec. 258 a, b, c.

Specimen quod exstat ad Benguelam lectum est.

Quamvis fig. 258 c. in opere Reevei laudato a nostra specie aliquantum discedat, tamen figg. 285 a et b. habitu cum nostra cochlea bene convenient, ita ut testam recte determinatam esse credamus.

74. Conus Tamsianus Dkr.

vide Tab. nostr. IV. Fig. 22, 23.

Testa turbinata laevis, basin versus lirata, albida maculis et flammis irregularris fusco lineisque transversis albo et fusco-articulatis pieta, epidermide pallide olivacea vestita; spira paulum elongata, conoidea; fauces purpureo-fuscae. — Long. 11 lin. diam. max. $5\frac{1}{2}$ lin.

Non sine haesitatione hanc speciem ad insulam Annabon lectam hic introduco novam; sed nusquam inveni descriptionem vel iconem ipsi convenientem. Species

inter Conum Mediterraneum et Guinaicum quasi intermedia est, sed differt ab hoc striis spirae spiralibus omnino deficientibus, ab illo spira breviore et liris baseos fortioribus Conus Adansoni Lam. XI. pag. 94., le Chotin Adans. Sénég. pag. 95. Tab. 6. fig. 6. a nostra specie non minus decedere videtur.

Praeterea duo exemplaria Coni cuiusdam existant fluctuum agitatione tam detrita, ut determinari nequeant.

75. *Oliva flammulata* Lam.

vide Tab. nostr. IV. Fig. 26. 27.

Lam. an. sans vert. X. pag. 613.

Adans. Sénég. pag. 61. Tab. 4. fig. 6. Girol.

Habitat ad Loandam (Tams) in ostio fluminis Nigri arenoso frequentissima (Adanson).

Icon nostra specimen majus reprezentat. Clar. Reeve patriam Olivae flammulatae Indias occidentales tantum nominat, quod fortasse in errore nitor.

76. *Oliva nana* Lam.

vide Tab. nostr. IV. Fig. 28. 29., var. minor 30. 31.

Ad insulam Loandam frequentissima, ubi numerorum loco versatur sicut et Cypraea moneta Linnaei. In Oceano Americano quoque hanc speciem obvenire dicunt. In opere Adansoni deest.

Duas hujus cochleolae varietates depinximus callo spirali fere omnino carentes, praeterea in specimine majore spira paullo elatior est, quam in ceteris. Plerumque testa lineolis fuscis undulatis ornata est, sed exemplaria nonnulla punctulis quoque numerosis concinne adspersa inveniuntur; figure 30 et 31 specimen minus in anfractu ultimo castaneo tinctum exhibent

77. *Marginella Adansoni* Kien.

Adans. Sénég. pag. 59. Tab. 4. fig. 2. le Narel.

Kiener Iconogr. pag. 5. Tab. VII. fig. 27.

⁵ Habitat ad St. Anton.

Plures auctores hanc speciem pro varietate tantum Marginellae bifasciatae Lam. habent, cum dicant picturam in testis variabilem esse. Sed quamvis equidem

non minus credam, colores pro certis generibus haud magni esse momenti, tamen ex altera parte concedendum est, colores et picturam saepissime ad ipsius testae indolem maxime necessarios esse, ex causa in Marginellarum genere. Ceterum monendum est Marginellam Adansonii statura majore et solidiore et labro magis incrassato interne distincte dentiflato a Marg. bifasciata Lamarckii distinguendam esse. — Figura cochleam „le Narel“ dictam exhibens rudis quidem, sed ejus descriptio exactissima est. Clar. Lamarekius hanc figuram male ad Marginellam fabam refert, quam Adansonius prorsus ignoravit.

78. *Marginella helmatina* Rang.

Lam. syst. an. vert. ed. alt. X. pag. 448.

Kien. Iconogr. pag. 11. Tab. 7. fig. 28.

Specimen unum exstat ad Loandam lectum.

79. *Marginella interrupta* Lam.

Le Duchon Adans. Sénég. pag. 61. Tab. 4. fig. 5.

Kien. Icon. pag. 25. Tab. 5. fig. 21.

Ad Loandam frequentissima videtur. Species in multis regionibus obvia.

80. *Cypraea lurida* L.

vide *Tab. nostr. IV. fig. 5. 6. var. minima.*

Linnaci S. Nat. ed. XII. pag. 1175.

Adans. Sénég. Tab. 5. fig. D.

Plura hujus speciei exemplaria ad Annabon collecta exstant magnitudine et colore mirum in modum variantia; maximum eorum fere 2 poll., minimum vix 8 lin. longum. Color dorsi modo hepaticus, modo cinereo-livescens seu fusco-olivaceus; saepius fasciae obscurae tres translucent. Unum exemplar extremitatibus valde productis et dorso subgibboso insigne. Icones 5 et 6 specimen minimum exhibit.

Cochlea e Mari Mediterraneo major satis nota est.

81. *Cypraea spurca* L.

vide *Tab. nostr. IV. Fig. 1. 2. 3. 4.*

Linn. S. N. ed. XII. pag. 1179. n. 359.

Mart. C. Cab. I. Tab. 31. fig. 335.

Plura specimina ad Annabon lecta sunt forma et pictura variantia. Iones nostrae duo varietates exhibent statuta et colore valde decadentes a cochlea Maris Mediterranei. In nonnullis fundus livescens seu dilute flavidus, in aliis hepaticus, raro sublivaceus, ocellis, punctulis vel picturis squamatis plus minusve saturatiorebus adspersus; margo foveolatus ocellis castaneis partim atro-fuscis ornatus; basis incarnata vel sublivida. — Non dubito, quin cochlea in opere Adansonii pag. 70. descripta et in Tab. 5. litera I signata ad nostram varietatem referenda sit; pariter et fig. F. ejusdem Tabulae hue pertinere videtur, nam simillima est speciminiis Cypraeae spureae majoribus, quae clar. Philippi ex Italia retulit.

82. *Cypraea caput serpentis* L.

Adans. Sénég. pag. 68. Tab. 5. fig. G.

Lam. vol. X. pag. 508.

Unum exemplar detritum incerti loci natalis retulit noster.

83. *Cypraea moneta* L.

Linn. S. N. ed. XII. pag. 1178.

Plura specimina in regione Loandae collecta exstant.

Haec species in toto Africæ occidentalis litora frequentissima dicitur, nihilominus in Adansonii opere desideratur. Exemplaria nostra ex insula Loanda originem ducent, ubi colliguntur ab incolis. Pari modo et magnam hujus cochleae copiam a litora Africæ orientalis ad Guineam transferunt nautæ, cum in his terris numerorum locum teneat.

84. *Terebra Senegalensis* Lam.

Le Faral Adans Sénég. pag. 54. Tab. 4. fig. 5.

Lam. an. sans vert. ed. alt. vol. X. pag. 244.

Plura specimina ad Loandam collecta exstant. Sine ullo dubio „le Faval“ Adansonii luc referendus est, cum nou solum descriptio, sed etiam icones nostris speciminiibus optime respondeant. Clar. Deshayes censet nomen antiquissimum le Faval restituendum esse. Sane et ex mea sententia hoc nomen præferendum esset nisi latinitatis et nomenclaturæ regulis plane obstaret ut „le Nifat, Narel, Girol,

Pitar. Kamboul: omniaque ista verba barbara quasi fabricata. Pari modo et nomina multa a clarissimis d'Orbigny et Duclos testaceis quibusdam imposita prorsus rejicienda sunt, cum omnes nomenclaturae regulas ludibrio habeant.

Terebra Senegalensis colore pervariabilis est: specimina plurima inveniuntur lutea, luteo-albida, vel pallide coeruleo-suffusa maculis subquadratis flammisque fuscocentibus et castaneis picta, apice colore obscuriore signata; specimen unicum exstat fere totum ferrugineum. Anfractus supremi longitudine plicati, sequentes striati, linea impressa basin versus plus minusve evanescente divisi.

Ut bene monet Kienerus (pag. 28.) Terebra striatula Lam. hic forsitan referenda est. An quoque Buccinum ferrugineum ad hanc nostram speciem pertineat, ut cl. Deshayes opinatur, non dijudicaverim.

85. *Sigaretus concavus* Lam.

Huc spectare videtur unicum exemplar ad Benguelam lectum.

86. *Sigaretus Martinianus* Phil.

cfr. Abb. vol. I. pag. 144. Tab. I. Fig. 5.

Figura hic allegata in exemplar ad Loandam lectum optime quadrat. An hue quoque referendus est „le Sigaret“ Adansonii (Sénég. pag. 24. Tab. 2. fig. 2.) hoc ego non dijudicaverim. Icones nimis rudes sunt. Fortasse duo species confundit Adansonius, ut Philippi censet.

87. *Sigaretus cymba* Mke. var.?

cfr. Tab. nostr. V. Fig. 20. 21. 22.

Specimen hic depictum ad Benguelam lectum maxime cum Sigareto cymba Menkei (cfr. Synops. meth. Moll. pag 146) convenit. Testa ejus est magna, ovata, valde convexa, transversim tenuiterque lirata, flavida partim rufescens, margo columellaris incrassatus, reflexus, albus, apertura ovato-rotundata, pallide castanea, laevissima. Certe et Sigareto Grayi Desh. (Lam. ed II. vol. IX. pag. 12.) cochlea nostra similis est, sed spira obtusa striisque subpunctulatis deficientibus differre videtur. — Cum in Sigareto cymba Menkei semper callositatem linearem internam, qua cochlea cingitur, observaverim, quae in specimine nostro omnino desideratur,

pro nova specie fortasse habenda est; nam illa callositas sine dubio a proprietate quadam animalis pendet.

88. *Sigaretus Menkeanus* Dkr.

Testa ovalis, depressa, undulato transversim tenuiterque lirata, alba, fasciis duabus latis interruptis pallide rufis picta; spira planata. — Diam. max. 1 poll. $2\frac{1}{2}$ lin., diam. min. 11 lin., altit. 4 lin.

Habitat ad Benguelam.

Testa Sigareto depresso Phil. (Abb. I. pag. 144. Tab. I. fig. 3.) inter omnes, quas novimus species, simillima est, sed fasciis et spira minore constanter differre videtur. Pictura Sigaretum maculatum Say in mentem vocat, qui nostra opinione minime, ut clar. Recluz opinatur, pro Sig. Martiniano nondum adulto habendus est.

89. *Haliotis tuberculata* L.

vide Tab. nostr. V. Fig. 17. 18. 19 et var. 20. 21. 22.

Linnaei Syst. Nat. edit. XII. pag. 1256. n. 741.

Adans. Sénég. pag. 19. Tab. 2. fig. 1. (L'Ormier).

Specimina hic depicta ad Benguelam et Loançdam collecta, tam iconi, quam descriptioni Adansoniana plane respondent, ita ut eadem ad cochleam l'Ormier dictam pertinere censeam. Cum praeterea Adansonius ipse „Haliotin striatam rugosam“ Linnaei citaverit (cfr. Fauna Suec. pag. 533. n. 1326), quam hic immortalis vir in editione duodecima Systematis Naturae nomine Hal. tuberculatae commemorat, huic speciei certe nomen supra inscriptum tribuendum est. Ut vero mea fert opinio, non minus Hal. striata nec non marmorata Linnaei ad Hal. tuberculatam spectant, cum haec species, ut Adansonius ipse affirmit, mirum in modum variet. Insuper Martini quoque Conch. Cab. I. pag. 178. Haliotin marmoratam Linnaei ad iconem Adansoniam refert et descriptio Bornii praeclari: „testa ovata, complanata, striis parallelis transversis et longitudinalibus obsoletis decussata; limbus planus, dorsum convexum foraminibus sex parvissim pertusum; spira obtusa; color viridis maculis fulvis marmoratus“ satis respondet speciminiibus quibusdam nostrae cochleae. Pariter et verba Linnaei: „habitat in Oceano Africano“ respicienda sunt.

Ceterum miror nomen Linnaeanum Hal. marmoratae neque in Lamarckii opere, nec in Reevei Conch. iconica obvenire. Haliotis marmorata Grayaná alia est species. Cfr. Reeve Conch. icon. spec. 44.

Icones nostrae 17. 18. 19. specimen exhibent luteo, rubro spadiceoque marmoratum, striis longitudinalibus tenuissimis, transversis vero maximam partem obsoletis sculptum; figurae 1. 2. 3. exemplar minus repraesentant colore pallidiore, luteo et rubro variegatum, costulis latis et angustis lirisque profundioribus partim subflexuosis insigne.

90. *Haliotis virginea* Chemn.

vide Tab. nostr. V. Fig. 6. 7. 8.

Chemn. Coneh. Cab. X. pag. 314. Tab. 166. fig. 1607. 1608.

Cum iconem huic speciei pulcherrimae omnino convenientem ignorem, specimen optime conservatum depinximus, quod reportavit clar. Tams ex insula Annabon. Hoc specimine invento patria certa hujus cochleae innotuit.

91. *Crepidula fornicate* (Patella) L.

Specimina, quae exstant e Guinea inferiore, omnino convenient cum figura Adansonii Tab. II. 8. „le Sulin“ dicta, neque cum Crepidula porcellana, quacum male jungitur a Lamareckio. Jam Linnaeus ipse illam iconem Adansonianam in describenda specie citavit, memorans spira laterali labioque concavo albo a Patella porcellana differre. Praeterea descriptio Adansonii perfecta et absoluta plane convenit cum Crepidulis fornicatis, quas ex America boreali allatas accepimus. Le Garnot Adansonii in eadem Tabula fig. 9. aere excisus, specimen junius esse videtur. In nonnullis exemplaribus Americanis nostrae collectionis duo strigae fuscae a vertice radiantes observantur ut in illa icona. — Le Jenac, a Gmelino Patella Goreensis nominatus, alia esse videtur species, exemplaribus nonnullis, quae retulit noster, satis respondens.

92. *Crepidula hepatica* Desh.

vide Tab. nostr. V. Fig. 4. 5. varr.

Lam. An. sans. vert. VII. pag. 646. n. 12.

Krauss Südafr. Moll. pag. 69. Tab. IV. fig. 12. a. b.

Plurima specimina exstant ad Benguelam et Loandam lecta mirum in modum inter se discrepantia, ita ut descriptio Deshayesiana cum singulis formis minime conveniat. Testa scilicet ovata modo depressa vel irregulariter dilatata et inflexa,

modo convexa lateribusque compressa, sinuata et latere dextro, vel, quod saepius occurrit, sinistro profunde emarginata est. (fig. 5.) Pictura unicolor hepatica seu fuscescens, interdum in fundo pallidiore fusco maculata praesertim marginem versus. Septum albidum planum subprofundum, medio parum sinuatum. Vertex statu integro subacutus haud raro obtusatus, plerumque dextrorum inflexus.

93. *Crepidula adspersa* Dkr.

vide Tab. nostr. V. Fig. 12. 16. 26. 27. 28. carr.

Testa ovata plus minusve convexa, irregulariter rugulosa, alba maculisque fuscis adspersa, epidermide pallide olivacea induita; septum planum medio subsinuatum, vertex plerumque valde porrectus. — Long. 6 — 7 lin., lat. 4 — 5 lin.

Crepidula adspersa Dkr. in Zeitschr. für Malacoz. 1846. pag. 25.

Quoad formam Crepidulae hepaticae Desh. affinis, sed testa rugulosa, alba, maculis fuscis ornata, ut videtur bene distincta.

Habitat in litore lapidoso ad Benguelam rara.

94. *Crepidula aculeata* (Patella) Gmel.

„Patella fornicata aculeata, testa integra, ovali, fusca, concamerata, labiata, seu labio interno vel fornice instructa, striis aculeatis exasperata, vertice recurvo.“

Pat. aculeata Gmel. pag. 3693.

— — *Chemn.* Conch. Cab. X. pag. 334. Tab. 168. fig. 1624. 1625.

Crep. aculeata Lam. VII. pag. 642.

— — *Soc. Gen. of Sh.* fig. 4.

Unicum exemplar optime conservatum ad Benguelam lectum exstat.

95. *Crepidula Peruviana* Lam.

Unicum specimen ad Loandam lectum adest plane conveniens cum exemplaribus, quae cl. Bernardus Philippi e Peruvia et ex insula Chiloë reportavit.

Testa crassa, suborbicularis, valde convexa, subspiralis, dorso rugulosa; septum concavum utrinque, praesertim ad sinistram, sinuatum; apex magnus dextrorum incurvus; color subcarneus vel albo carneoque variegatus, interdum ad marginem subfusco striatus; septum lacteum. — Long. max. 1. poll. 6 lin.

5*

Haec species omnium Crepidularum, quae hue usque innotuere, maxima est. Unum exemplar nostrae collectionis eximiae magnitudinis fere 2 poll 6 lin. longum est. Conf. Lam. VII. pag. 644. n. 6. Deless. Rec. Tab. 25. fig. 5.

96. *Calyptrea vulgaris* Phil.

Phil. Enum. Moll. Sic. I. pag. 119.

Tria exemplaria in litore prope Benguelam lecta adstunt, quae a speciminibus Maris Mediterranei testa squamuulis tantum magis exasperata differunt. Unicum specimen apice fusco notatum fortasse pro specie propria existimanda est. — Haec species ad genus Grayanum Galerus pertinet.

97. *Calyptrea radians* (*Trochus*) Lam.

Specimina ad Benguelam et St. Vincent lecta plane convenient cum exemplaribus Peruanis et Chilensis. — Genus Trochita Schumacheri in hanc speciem fundatum est.

98. *Capulus pilosus* (*Pileopsis*) Desh.

Exemplaria plura lecta sunt ad Loandam. Quamvis sint detrita, tamen rudimenta epidermidis pilosae ostendunt.

99. *Capulus mitrula* (*Pileopsis*) Lam.

Tria specimina exstant ad Loandam lecta, quae omnino cum iconе Adansoniana „le Soron“ dicta (efr. Tab. 2. fig. 3) convenient, ita ut ea sine haesitatione hue referam. Clar. Deshayes bene monet (Lam. ed. II. VII. pag. 610.) Pileopsis mitrulam fortasse ad Patellam antiquatam Limnaci (S. N. ed. XII. pag. 1259.) referendam esse, sed dubitat speciem Adansonianam hue pertinere. — Possidemus hanc cochleolam e remotissimis terrae regionibus allatam. — Hanc et antecedentem speciem ad genus Hipponychis Defrancei transferant, qui Capulos secernunt.

100. *Fissurella rosea* (*Patella*) Gmel.

Mart. Conch. Cab. I. Tab. XII. fig. 105.

Gmel. pag. 3730. n. 204.

Sow. Conch. ill. fig. 8.

Fiss. rosea Lam.? in *Phil. Ennum. Moll. Sic.* II, pag. 91.

Duo tantum hujus speciei Maris Mediterrani frequentissimae exemplaria existant in litore ad Benguelam lecta. Icon. Martiniana et descriptio Philippiana — „testa ovato-oblonga, conico-convexa, tenuis, longitudinaliter striato-rugosa, purpurea aut albo roseo-radiata, aut fuscescens varia, roseo radiata, intus plerunque virescens, margo internus levissime crenulatus, planus“ — omnino quadrat.

101. Fissurella Philippiana Dkr.

vide Tab. nostr. V. Fig. 23. 24. 25.

Testa ovato-oblonga, fere elliptica, convexa, antice declivis, subgibbosa, albido, luteo seu pallide fusco maculata, costis radiantibus plurimis striisque transversis confertis elevatis decussata; vertex ultimo fere quadrante totius longitudinis situs; foramen pro magnitudine parvum oblongum, lateribus sinuatum; margo intus crenulatus. — Testa fere 6 lin. longa. Ratio longit., lat. et altit. = 100 : 62 : 35.

Fissurella Philippiana Dkr. in *Zeitschr. für Mal.* 1846, pag. 26.

Fissurella gibba Phil. — *Fiss.* Graecae L. similis, sed bene distinguenda — primo obtuto eadem esse videtur species, at nostra cochlea evidentissime differt foraminis forma ovata lateribusque dilatata, serae ori haud dissimili, qua clavis immittitur. Praeterea apice multo magis excentrali et sculptura asperiore insignis est.

Leeta est prope Loandam.

102. Fissurella Menkeana Dkr.

vide Tab. nostr. V. Fig. 13. 14. 15.

Testa elliptica valde convexa, antice subgibbosa, albida, badio roseo-pieta, costis longitudinalibus plurimis striisque transversis subelathrata; vertex obtusus in ultimo quadrante totius longitudinis situs; foramen parvum subrotundum; margo crenulatus. — Long. 6 — 7 lin. Long., lat., alt. = 100 : 65 : 42.

Fissurella Menkeana Dkr. in *Zeitschr. für Malac.* 1846, pag. 26.

Species haec similis praecedenti differt costis subtilioribus et foramine subrotundo magis antrorum inclinato. Variat pictura et colore; nam modo est sordide alba et badio maculata, modo nivea radiis pallide rufis vel roseis ornata. Costae in aliis speciminiis obsoletae, in aliis granulosae apparent.

Habitat cum praecedente, unicum quoque specimen lectum est in litore ad Benguelam.

103. Fissurella Benguelensis Dkr.

vide Tab. nostr. V. Fig. 9. 10. II.

Testa ovato-oblonga, depresso-conica, flavigra, costis plurimis elevatis costulisque transversis decussantibus clathrata; apex excentralis in tertia longitudinis parte situs: foramen subrotundum, annulo purpureo circumdata; facies interna albida; margo leviter crenulatus. — Longitudo unici speciminis ad Benguelam lecti 5,5 lin. efficit. Long., lat. et alt. ratio = 100 : 60 : 30.

Fissurella Benguelensis Dkr. in Zeitschr. für Malacoz. 1846. pag. 27.

Forma Fissurellae Graecae Lam. e mari Siculo affinis, sed costae radiantes seu longitudinales confertae, multo minus elevatae nec nodiferae, costulae transversae subtiliores neque lamelliformes.

104. Fissurella Graeca (Patella) L.

Unicum specimen detritum ad Loandam lectum exstat. Huc spectat le Gival Adans. Sénég. pag. 37. Tab. 2. fig. 7. Icon Adamsoniana nostro specimine duplo major.

105. Fissurella alabastrites Reeve.

Conch. icon. spec. 27.

Duo exemplaria paullo detrita ad St. Vincent lecta exstant. Costis majoribus minoribusque 22 — 26 instructa sunt; color eorum est albus; orificium magnum linea rosea intus circumdata. Le Dason Adansonii (Sénég. pag. 35. Tab. 2. fig. 6) certe hic pertinere putamus, cum descriptio et icones optime respondeant speciminiis nostris. Clar. Reeve iconem Adamsonianam haud citavit in describenda hac specie. Linnaeus iconem Adamsonianam male ad Patellam suam nimbosam refert. Conf. de hac specie Deshayesii adnotatio in Lam. vol. VII. pag. 591.

106. Patella lugubris Gmel.

vide Tab. nostr. VII. Fig. 9. 10. II et Fig. 22. 23. 24.

Linn. S. N. edit. XIII. pag. 3705.

Mitrula lugubris Mart. Conch. Cab. I. Tab. 8. fig. 60.

— — — Schröter Einl. II. pag. 448. n. 19.

Cum descriptiones hujus speciei haud sufficiant, duo exemplaria ejusdem accuratissime depinximus alterum majus ad Benguelam, alterum minus ad Loandam lectum. In specimeni majore costae radiantes rugulosae, subnodosae 46—48 numerantur; in interstitiis costae sunt minores. Interna facies atrato-coerulescens nitidissima, centrum lacteum. Specimen minus fere totidem costis instructum, radii non nullis albidis pictum est. — Icon Martiniana exemplar multo majus albo marginatum repraesentat.

107. *Patella spectabilis* Dkr.

vide Tab. nostr. VI. Fig. 7. 8. 9.

Testa ovata, subdepressa, solida, lutea vel sordide alba, rufa radiata; vertex obtusiusculus ad $\frac{3}{7}$ longitudinis situs, vel, quod idem est, longitudinem in ratione tres ad quatuor dividens; costae radiantes numerosae, rugulosae, subnodosae, marginem versus subimbricatae; pagina interna coerulescens, centrum lacteum; margo irregulariter plicatus, crenulatus, haud angulatus. — Long. speciminis quod exstat maximi 1 poll. 9 lin., latit. mediae testae 1 poll. $4\frac{2}{3}$ lin., altit. 6 lin.; sed exemplaria multo majora usque ad 2 poll. 6 lin. longa vidiimus.

Habitat ad Loandam haud rara.

Species nostra *Patellae margaritaceae* Gmel. (Mart. I. Tab. 10. fig. 85!) et varietati, quae Lamarckio *Pat. coerulea* erat, affinis, sed notis quibusdam diversa videtur ex. c. testa majore, crassiore, haud angulata, costis majoribus et imprimis vertice magis centrali, qui in illa semper ad $\frac{1}{3}$ longitudinis situs est. Monet quoque bene clar. Philippi (Enum. Moll. Sie. II. pag. 109.) pullos *Pat. margaritaceae* saepius *Pat. saccharinae* Gmel. valde similes esse, quod de pullis nostrae speciei affirmare non possum.

Ceterum haud contemmnda Patellarum copia exstat, quam clarissimus noster peregrinator attulit, magnam partem pervariabilis, qua de causa difficile dijudicari potest, quid sit species, quid varietas. Eodem modo in speciebus jam descriptis et iconibus illustratis difficillima est accurata determinatio, quum manifestum sit apud veteres autores non solum varias species saepissime confusas, verum etiam plures varietates pro genuinis speciebus separatas esse. Ut hic exemplum ponam *Patella coerulea* L., *margaritacea* Gmel., *Bonnardi* Payr. et *scutellaris* Lam. nostra opinione ad unam eandemque speciem pertinent. Huc quoque et ea forma spectare videtur, quam clar. d'Orbigny *Patellam Loweii* appellat, Voyage des Iles canar.

Tab. VII. fig. 9 et 10.) aequo ac ea, quam Tab. nostra VI. fig. 1, 2, 3. offert. Jam habemus eam e variis plagis Africæ occidentalis, regione scilicet Loandæ et Benguelæ, ex insulis Fayal et St. Vincent. Clar. amicus Albers Berolinensis nuperime statu subfossili eam ex itinere ad insulam Madeiranam retulit mihiique benevolè communicavit. Haud raro ibidem in terra quadam tofacea ad pagum Canical in peninsula San Lorenzo dicta occurrit, cum Helice delphinula Lowei, thiarella Webb et Bert. aliisque istis speciebus admirandis Maderensibus commixta. Itaque enī constat, hanc cochleam pervariabilem in magna Africæ occidentalis parte obvenire.

Varietas de qua sermo, non solum a Patella margaritacea, sed etiam a senstellari et coerulea praesertim testa valde depressa, costis crassioribus asperatis in pullis plerunque distinctissime squamoso-echinatis et apice parvulo, saepius mamillari distinguuntur. Facies interna colore coerulecente, medio lacteo tineta. Margo acutus crenulatus, interdum subangulatus, ita ut primo adspectu a Patella margaritacea et extremis aliarum varietatum formis bene differre videatur; attamen sensim in eas transit.

107. *Patella Guineensis* Dkr.

vide Tab. nostr. VII. Fig. 19, 20, 21. et rar. in eadem Tab. Fig. 1, 2, 3.

Testa ovalis, interdum elliptica, subelevata, solidiuscula, concentrica striata et subrugosa, costis radiantibus confertis inaequalibus subnodosis, partim obsoletis instrueta, luteo-aurantia, fusco variegata et radiata; vertex prominulus antrorum inclinatus submamillaris ad $\frac{1}{3}$ longitudinis situs; facies interna luteo-aurantia, centrum lacteum et luridum; margo acutus vix crenulatus fere simplex. — Long. 1 poll. 1 lin. Long. lat. alt. = 100 : 88 : 30.

Habitat ad Loandam.

Cochlea ambitu plerunque fere exakte ovato, interdum elliptico et margine undique incumbente cum nulla alia specie, quae nobis innotuit, jungenda est. Plura adsumt exemplaria in eodem litore lecta, paullulum latiora, omnino majora, cinereo-flava maculisque fuscis irregularibus adspersa et costellis scabris exasperata, quae fortasse ad aliam speciem pertinent, cum et interna facies differentias quasdam praebat, sed difficile est dijudicatu, num sint varietates, an pertineant ad propriam quandam speciem. — Varietas, quam exhibent figuræ 1, 2, 3, superficie subaspera, marginem versus subimbricata, ambitu fere elliptico, maculis radiisque fuscis magis perspicuis et colore cinereo-flavo differt.

109. *Patella tabularis* Krauss.

Krauss. Südfr. Moll. pag. 47. Tab. III. fig. 8.

Unum tantum specimen nondum adultum ad litus prope Benguelam lectum exstat, quod hoc spectare videtur. Forma, numerus costarum majorum et minorum, sculptura omnino et color externus haec omnia in illud quadrant excepta unica differentia, colore scilicet interno, qui est in centro albus neque fuscescens. Nihilominus haud dubitamus, quin haec species hoc pertineat. An Patella obtecta Krauss l. l. pag. 47. Tab. III. fig. 11 nil nisi varietas Patellae tabularis?

110. *Patella nigro-squamosa* Dkr.

vide Tab. nostr. VII. Fig. 4. 5. 6. var. minor Fig. 7. 8. var. major. tota nigra.

Testa ovata, subconica, solida, albida, costis radiantibus majoribus minoribusque confertissimis granulato-squamosis ornata, squanulis nigris erectis; vertex ad $\frac{2}{3}$ longitudinis testae situs, acutiusculus, saepius obtusatus et erosus; pagina interna lactea, centro rufa vel lutea; margo crenulatus fusco atroque maculatus seu totus aterrimus. — Long. speciminis maximi fere 1 poll. efficit. Long., lat., alt. = 100 : 75 — 80 : 40.

Varietas minor rara invenitur ad urbem Hortam, latere orientali insulae Fayal, teste clar. Tams; major ad Benguelam legitur.

Patella nigro-squamosa Dkr. in Zeitschr. für Malacoz. 1846. pag. 25.

Triplex distinguenda est hujus speciei varietas:

- 1) testa majore tota atra, margine lato aterrino: var. millaris Phil. in Zeitschr. für Malacoz. 1848. pag. 162. *Patella Natalensis* Krauss. Südfr. Moll. pag. 53. Tab. III. fig. 10. Gabon, Benguela et litus Natalense;
- 2) testa ovata lateribus, subcompressa, striis echinulatis paucioribus instructa; margine atrato et fusco maculato. *Pat. echinulata* Krauss. l. c. pag. 52. Tab. III. fig. 15., in sinu tabulari lecta;
- 3) testa paulo altiore sordide alba vel lutea, costulis nigro-squamosis subechinulatis ornata; ad urbem Hortam detecta.

Species nostra pervariabilis ad eas Patellas perfinet; quae ad latera liant, testa scilicet antice et postice tantum incumbit. Primo obtutu proxime cognata esse videtur cum *Pat. lusitanica* Gmel., nam simillima est speciminibus ejusdem detritis, quae a Lamarekio sub nomine *Patellae pumatae* descripta sunt Conf.

Phil. Enum. Moll. Sic. I. pag. 110. — Pat. lusitanica statu integro radiis aureis vel castaneis semper ornata est.

111. *Patella Adansonii* Dkr.

vide Tab. nostr. VI. Fig. 10. II. 12. specimen juvenile. Fig. 13. 14. 15. spec. adustum exhibet.

Testa oblongo-ovata, subelliptica, mediocriter elevata, costis inaequalibus circa 80 — 100 sculpta, albida, nigro, fusco et olivaceo marmorata et striata; vertex ante teriam longitudinis partem situs; facies interna coeruleo-fuliginea; centrum lacteum et rufescens, interdum subcarneum vel hepaticum, limbum versus rufo radiatum; margo subcrenato-dentatus. — Long. spec. maximi 1 poll. 10 lin.; mensurae circiter haecce 100 : 80 : 35.

In situ ad Loandam lapidibus incidentem haud raram legit noster hanc cochleam.

Ad hanc speciem *Patella nigra*, magna tenuiter admodum striata Africana Listeri (Tab. 537. fig. 16.) pertinere videtur, pariter „Libot“ Adans. Sénég. pag. 27. Tab. 2. fig. 1. Costae numero pervariabilis, in uno specimine exstante circa 120; saepe costa major in utroque latere minorem habet, ut bene dicit Adansonius, sed clare eluet in descriptione plures species confusas esse. — Gmelinus figuram Listeri male ad *Patellam crenatam* refert et Libot Adansonii cum *Patella umbella* male jungit.

112. *Patella Kraussii* Dkr.

vide Tab. nostr. VI. Fig. 4. 5. 6.

Testa ovata, tenuis, depresso-angusta, pallide fusca, subcornea, radiatim costata transversimque striata, costae inaequales subundulatae; vertex acutus porrectus, retrorsum inclinatus, subuncinatus, fere ad $\frac{3}{4}$ longitudinis situs; margo acutus, subtus obsolete plicatus et crenulatus; pagina interna subcana et coeruleo-fuliginea, centrum sorde album et flavescens. — Long. fere 1 poll. 3 lin., lat. 11 lin. alt. 4 lin

Habitat ad Loandam.

Species singularis pro mea sententia ad nullam aliam hue usque descriptam adnumerari potest. Costae radiantes 100 — 120 numerantur; in interstitiis costarum majorum 2 — 3 minores, maiores passim squamulis et nodulis instructae sunt, praeterea tota superficies subtilissime linea est, quae vero lineolae per vitrum tantum aspici possunt.

113. *Patella conspicua* Phil.

Abb. vol. III. pag. 71. Tab. III. Fig. I.

Exemplar minus ex itinere Africano attulit noster sine indicatione certa loci natalis. Vertex valde obtusatus et erosus ab auctore clar. conicus appellatur. — Testa adulta sine dubio Patellae saffanae Lam. Deless Rec. Tab. 22. fig. 2. valde similis est (Gabon in Guinea Phil.)

CONCHIFERA.

114. *Ostrea Guineensis* Dkr.

vide Tab. nostr. VII. Fig. 12 – 18.

Quinquam nulla milii nota est Ostrearum species huic respondens, invitus tamen hanc concham pervariabilem pro nova specie hic numero, cum Ostrearu genus formis suis et sculpturae indole tantopere variet, ut saepius dijudicari non possit, quae formae sint varietates, quae species genuinae; nam permultas Ostreas, quas conchyliologi quidam pro certis speciebus habuerunt, formis intermediis conjunctas esse constat. Pariter hoc affirmari potest et de Ostreis permultis fossilibus.

Tabula nostra formas nonnullas insignes Ostreac parvae Guineensis exhibet. Umbones ejusdem plus minusve resupinati, plerumque sinistrorum curvati — si nempe valva inferior dorso incurbit, — interdum vero ad latus oppositum inclinati, rarius erecti sunt. Testa valde inaequivalvis, plerumque oblique elongata, inferne attenuata, raro dilatata et deltoidea. Specimina plurima costis plicisque crassis subimbricatis vel rugiferis haud dichotomis instructa sunt, praesertim marginem flexuosum versus, ubi complectuntur valvulae. Specimina vero nonnulla plicis parvulis ornata sunt, imo reperiuntur valvulae plicis costisque fere omnino earentes. Valva superior plerumque lamellosa, superficies ejus colore languido sordide albo vel cano, vel atro-purpureo variegata et radiata. Pagina interna valvae utriusque albida, in nonnullis speciminiibus fuscescens, paulo iridescentia. Saepe valvulae virides apparent, qui vero color non est genuinus, sed e Conservis ortus, quae Mollusca aliaque corpora marina saepissime obducunt. Impressio muscularis ovato-rotundata sublunata, interdum

subtrigono-rotundata, margine sinistro approximata. Margo in cardinis regione utrinque crenulatus.

Varietates nonnullae hujus conchae Ostreas quasdam fossiles in mentem vocant, sic ex. gr. figg. 16, 17, 18, quas Tabula nostra exhibet, similitudinem maximum habent cum certis varietatibus Ostreac multiformis Koch et Dkr. e formatione, quae dicitur oolithica, pariter valvae 12, 13, 14, 15 Ostreae larvac Lam. haud dissimiles sunt.

Haec concha ad Loandam frequentissime invenitur ligno aliquique corporibus gregatim insidens. Possidemus quoque Ostream parylum Strombo tricorni affixam, quae hue spectare videtur. An icones quaedam Adansonii hue pertineant, dijudicare non possumus.

115. *Pecten Lovéni* Dkr.

vide Tab. nostr. IX. Fig. 31.

Testa minima, orbicularis, subaequivalvis, temuissima, concentrica obsoletissime striata, fusco et albo variegata; auriculae sulcatae inaequales, — Alt. $4\frac{1}{2}$ lin. Alt., long., crass. ratio fere haec est 100 : 95 : 30.

Non nisi duo singulæ valvulae hujus speciei exstant, quæ ex regione urbis Loandæ reportata sunt, valde tenues, fragiles, pellucentes, parum convexæ, fuscae, albo maculatae et variegatae, auriculis sulcatis pro exiguitate testæ majusculis instructæ. Valvula dextra modice emarginata et in situ eleganter serrulata est. Striae concentricæ tam tenues et obsoletæ sunt, ut sub lente tantum observari possint.

Hanc concham minutam neque descriptam neque depictam inveni, qua de causa eam pro nova specie hic enumeravi. Pectimes pusillos quosdam fossiles in mentem vocat, ex. gr. Peetinem pygmaeum Münst. e litore Norwegico et tellure tertiaria Italæ inferioris.

116. *Isognomum Perna (Ostrea)* L.

vide Tab. nostr. VIII. Fig. 7. 8. 9. 10. corr.

Linn. S. N. XII. pag. 1149.

List. Conch. Tab. 199. fig. 33!

Chenn. Conch. Cab. VII. pag. 252. Tab. 59. fig. 580 (Ostrea Perna Linnaei, Coll. Spengl.)

Schröt. Einl. vol. III. Tab. IX. fig. 5.

Lam. an. sans vert. VII. pag. 78. *Perna vulsellula*, excepta var. b.

Concha sicut et plurimae Ostrearium species pervariabilis. Figg. 7 et 8, specimen maximum repraesentant oblongum, foveolis septem cardinalibus instructum, antico cardinalis margine rostriformi, facie interna alba et livida, usque ad lineam palliareum vivide margaritacea; fig. 9, specimen exhibet obovatum, valde rugosum irregulariterque formatum, et fig. 10, testam valde elongatam medio coartatam refert.

Ad hanc speciem sine dubio Concha semiaurita var. *Chenn.* VII. fig. 580. spectat, sed quaciritur utrum fig. 579 huc pertineat, aunc propria sit species. Clar. Anton (Verz. pag. 17) eam *Pernam* radiatam appellavit. Ad nostram concham Ostrea *Pernam* Linnaei referendam esse opinamus. — *Ostrea semiaurita* Schröt. Einl. III. pag. 365. Tab. IX. fig. 6. pro *Crenatulae* specie quadam habenda est.

Exemplaria plura exstant ex insula St. Vincent et regione Loandae allata; omnia plane respondent iis, quae ex Antillarum insulis et ex America centrali originem ducent.

117. *Area senilis* L.

Linn. S. N. ed. XII. pag. 1142.

Adans. Sénég. pag. 246. Tab. 18. fig. 5 le Fagan.

Chenn. vol. VII. Tab. 56. fig. 554—556.

Frequentissima invenitur haec concha crassa in litore insulae Loandae, unde incolae illam ad urbem Loandam transferunt, cum calcis coctura utantur. Hac in regione et statu subfossili satis frequens invenitur plerunque paullo minor et angustior. — Genus *Grayanum* Senilia in hac specie nimitur.

118. *Area setigera* Dkr.

vide *Tab. nostr.* IX. Fig. 16. 17. 18.

Testa aequivalvis crassiuscula, ovalis, subturgida, sordide alba et cretacea, concentrica rugulosa, radiatim multicostata, costarum dimidia parte sulco divisa; latera superne obtusangula, latus anticum brevius, rotundatum, latius, latus posticum longius, attenuatum; basis parum curvata; epidermis sublamellosa et setigera; umbones tumidi; area ligamenti angusta declivis, antice paulo brevior. — Long. 1 poll. $9\frac{1}{2}$ lin. Long., alt., et crass. ratio fere haec est 100 : 70 : 58.

Habitat ad Loandam.

Testa costis 32 — 34 subangulatis instructa, antiae 17 — 18 marginem versus dichotomae; umbones prominentes subacuti, modice involuti, parum distantes; color albidus fere cretaceus, mediis in valvis interdum subluteus; epidermis fusco-olivacea, ut solet, plurimam partem soluta, valida, sublamellosa, interstitionum lamellae vero acuminatae setigerae apparent; cardo rectilineus confertim denticulatus; denticuli circa 54 — 56 numerantur.

Species A. scaphae Chenn. (C. C. vol. VII pag. 201. Tab. 55. fig. 548.) similima, sed umbonibus submedianis, — qua de causa testa minus obliqua est — epidermidis formatione nec non statura minore satis diversa videtur.

Praeterea singula valvula Arecae cujusdam minoris aut nondum adultae ad Loandam lecta est habitu oblique ovali, costulis rotundatis, anticis et posticis subgranosis circa 24 instructa. Nulla mihi nota est species cum haece conveniens. Cum vero fluctuum agitatione paullo detrita sit haece unica valvula, non ausus sum eam pro nova specie hic enumerare.

119. *Arca lactea* L.

Linn. S. N. ed. XII. pag. 1141.

Singula valva sinistra detrita e regione Loandae adest. De specie summi-pere variabili uberiori tractavit cl. Philippi in enumeratione Molluscorum Siciliae pag. 56. „Le Jabet“ Adansonii (Sénég. pag. 250. Tab. 18. fig. 8) fortasse ad hanc speciem pertinet, cum descriptio testae satis respondere videatur, quamvis icon sit nimis rudis.

120. *Arca stigmosa* Dkr.

cide Tab. nostr. IX. Fig. 8. 9. 10. II.

Testa oblonga, alba, ad apicem sublutea, tenuis, utrinque rotundata, superne subangulata; costulæ confertæ granulosæ radiantes, antiae latiores, medianæ graciöres, sequentes 5 — 7 bipartitæ et posticæ 5 — 6 majores; interstitia seriatim stigmata; area ligamenti angustissima. — Long. 9 lin. Long. alt. crass. = 100 : 56 : 40.

Habitat ad Loandam.

Species peculiaris propter stigmata seriatim ordinata ad recipiendas setas fortasse destinata; putantur scilicet epidermidem fuscam setigeram fuisse. Areæ trapezinae Lam. nec non A. granulatae Phil. (Abb. vol. III. pag. 114) similis est, sed area fere omnino deficiente ab utraque specie distinguitur.

121. *Pectunculus spec. dub.*

Singula valva Pectunculi cuiusdam minoris parum convexi fere orbicularis, concentrica et quidem regulariter striati, fusco maculati ad Loandam lecta exstat. Omnino nulla mihi nota est species, cui haec mea valvula plane respondet. Si nova est et adulta, nomen Pectunculi concentrici conveniret. Arca nummaria Linnaei, quae in Conch. iconica Reevei desideratur, fortasse luc perfinet.

122. *Mytilus smaragdinus* Chemn.

Chemn. Conch. Cab. vol. VIII. pag. 166. Tab. 83. fig. 745 et Tab. 84. fig. 746.

Exemplaria, quae ex Guinea inferiore retulit noster, plane quadrant in descriptiones copiosas et icones bonas Chemnitzianas. Aetate profectiore epidermis plerumque viridior fit. Specimina nostra ad varietatem latiorem (l c. fig. 746) pertinent. „Le Fonet“ Adansonii Sénég. (pag. 212. Tab. 15. fig. 4) hue referendum esse opinor, cum descriptio et icon exemplaribus junioribus satis respondeant — Myt. viridis Linnaei, quem pro smaragdino habent quidam, valde diversa esse videtur species, cum auctor hanc concham parvam, tenuissimam, fragilissimam et pellucidam appellat. Haec species mihi prorsus ignota nec a Chemnitzio neque a Lamarekio commemoratur.

123. *Mytilus Senegalensis* Lam.

Lam. an. sans vert. VII. pag. 40.

Delessert Ree. Tab. 13. fig. 11.

Mytilus variabilis Krauss. Südafr. Moll. pag. 25. Tab. 2 fig. 5.

Singulae valvae, quae e litore Benguelensi exstant, plane respondent iconi Delessertiana. Momenti magni est color baseos albidus

Mytilus puniceus Gmel., l'Aber Adans., quem clara Agnes Catlow in Nomenclatore conchyliologico pag. 74 ad hanc speciem alligat, hic non pertinet, cum ex Adansonii descriptione accurata satis clueat, illum ad *Mytilos septiferos* pertinere, ut iam monuit Ferdinandus Krauss.

124. *Mytilus tenuistriatus* Dkr.

vide Tab. nostr. IX. Fig. 1. 2. 3.

Testa parva, tenuis, ovato-oblonga, subtumida, fusco-violacea, epidermide rufo-cornea induita, per longitudinem tenerime striata, striis simplicibus, perpaucis in-

terdum marginem versus dichotomis; margo dorsalis subfornicatus, anticus subrectus, posticus parum curvatus multo longior; margo baseos medio sinuatus; carina ab umbonibus parvulis incurvis subterminalibus ad latus posticum decurrens obtusa; margo internus conchae subtilissime crenulatus. — Long. fere 1 poll. Long. alt. crass. = 100 : 45 : 45.

Specimen unicum perfectum et valvulae nonnullae singulæ nimis detritæ existant in regione urbis Loandæ collecta.

Species ab antecedente præsertim testa multo tenuiore, unicolor et sculptura subtiliore satis diversa.

125. *Mytilus Charpentieri* Dkr.

vide Tab. nostr. IX. Fig. 12 – 15 et Fig. 19 – 21.

Testa ovato-oblonga vel ovato-trigona, crassa, fuscæ, subolivaceo et albo variegata, epidermide tenui cornea vestita, striis sulcisque incrementi nonnullis instructa, costulis subtilibus granulosis ab umbonibus radiantibus bi- et trifurcatis eleganter sculpta; basis magis minusve sinuata; margo dorsalis medio fornicatus, saepius, præsertim in pullis, angulatus; umbones acuti incurvi terminales; margo subtiliter crenulatus; impressio muscularis antica subelliptica bene expressa; color internus albidus et subviolaceus, splendor parum margaritaceus. — Long. speciminum majorum 11 lin. Long., alt. et crass. ratio fere haec est 100 : 52 : 60.

Plura specimen ad Loandam collecta existant.

Species interdum compressa et irregulariter formata, Mytilo granulato Hanley (Zool. Proc. 1844, pag. 17.) e litore Peruano et Chilensi affinis est, sed differt non solum sculptura multo subtiliore, sed etiam colore, qui in illo semper albus invenitur. Concha ab Adamsonio „Aber“ dicta, nostræ speciei, si respiciamus externam ejus faciem, simillima videtur, sed cardinis formatione maximopere discedit.

126. *Modiola barbata* (*Mytilus*) L.

Unicum tantum exemplar junius e litore insulae St. Vincent reportavit noster, quod ad hanc speciem maris mediterranei frequentissimam pertinere videtur.

